
FRANCISCI
BOCCHII
ELOGIORVM, QVIBVS
Viri Doctissimi
NATI FLORENTIAE
DECORANTVR,

Liber Primus.



FLORENTIAE,
Apud Iuntas. M. D C VIIII.
Cum licentia Superiorum.





In ſupradictis viginti Elogijs clariſſimorum virorum editis per D. Franciſcum Bocchium nihil inueni, quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus repugnet.

Camillus Pandulphinius Canonicus Florent.

Attenta relatione præmiſſa, elogia præſentia imprimi poſſe Florentiæ impertimur, ſeruatis prius ordinibus conſuetis; Die 28. Martij. 1609.

Petrus Nicolinius Vic. Generalis Florent.

Videat R. pater Emanuel Ximenes Societatis Ieſu, & referat.

Frater Cornelius, Florentinus Inquiſitor.

Legi Elogia clariſſimorum virorum à Franciſco Bocchio exarata, & nihil in illis à fide Catholica, & optimis moribus alienum reperi. Florentiæ in Coll. Societatis Ieſu. 7. Aprilis. 1609.

Emanuel Ximenes.

Frater Cornelius, Florentinus Inquiſitor; die 9. Aprilis.

Frater Vincentius Ciuitella vidit.

PERILLVSTRI,
REVERENDISSIMOQVE
DOMINO, D. THOMAE XIMENIO,
VTRIVSQVE SIGNATVRAE
REFERENDARIO SAL.





AGNA est humani generis fragilitas; atq; ita magna, vt nisi se clarissimorum hominum virtute communiret, parùm profectò suis se uiribus sustentaret. Præstò est igitur hæc virtus in rebus dubijs; iuuat in periculis; oblectat in rebus lætis; & , quocunq; vocas, generosè cunctorum hominum vtilitatibus inseruit. Sed quoniam eius vita modicis finibus humanæ vitæ terminatur, q iò sit aliquo pacto diuturnior, publicisq; negotijs magis inseruiat, præsidio non mediocri se corroborat. Idcirco ne memoria extinguatur, pictura, & statuæ, & sepulchra adhibita sunt; sed literarum monimentis profectum est tam valde, vt, vita hominis extincta, duret tamen vis virtutis, & in sui exemplum cogitationes hominum inflammet. Hoc nomine, vt res ipsa exemplo prodesse possit, multorum admonitu impulsus viginti elogia doctissimorum virorum conscripsi paulò ante; qui Florentiæ, & sua industria, clarissimisq; virtutibus nobilitati dum se exornant, hanc ipsam nostram patriam magnis commodis afficiunt. Quamobrem mea obseruantia in te, Reuerendis. Thoma, atq; in tuum fratrem Nicolaum Ximenium nostræ ciuitatis patritium, & Senatorem amplissimum facilè perfecit, vt has meas lucubrationes typis excusas ad te mittam; non solùm, quia ijsdem te studijs exornas, quibus se viri clarissimi illustrarunt; sed quia hæc semper amasti, & de summis eorum laudibus benè mereri numquam destitisti. Cara est vis virtutis vsquequaq; ; sed quæ nata domi est, caritate vincit omnia. In his elogijs legendis

mores

mores optimi occurrent; qui nobilibus ex artibus profecti nonnihil voluptatis, aut commodi potius legentibus afferre possunt. Summa hæc clarissimorum hominum virtus mirabiliter iuuit, dum eis vita præcipuè suppeditauit. Nunc verò post mortem minimè otiosa est; prodest exemplo, atque ad opus consimile inuitat. Tu verò, vt audio, istic Romæ mirabiliter ad laudem te exerces, vt Florentiæ nauanda opera Illustrissimis Nuntijs Apostolicis gloriosis laboribus fecisti. Qui vir, & quantus fueris Pisis, dum ius ciuile per aliquot annos publico in gymnasio superiore è loco profiteris, silentio prætereo; ne, dum parcè de tuis laudibus dico, mea hæc scribendi ratio parùm dignitati tuæ consuluisse videatur. Sed mihi crede, dum te in hac patria (quæ tibi nobiscum communis est) meritis clarissimis locupletas, omnium profectò, qui te admirantur, beneuolentiam concilias. Vt quis te excitet, minimè omnino eges; sed tamen poterit rerum tantarum memoria currentem incitare, &, vt te aggreges ad numerum summorum virorum, & tua virtute hanc eandem tuam patriam illustres, facilè perficere. Vale; Florentiæ. M. DCVIIII.

Franciscus Bocchius

dignitati tuæ deditissimus.

FRANCISCI BOCCHII ELOGIORVM,

QVIBVS VIRI DOCTISSIMI *Nati Florentiæ decorantur*,

LIBER PRIMVS.



MNES humanæ Res fluxæ sunt, nec diu in suo statu possunt permanere; idcirco, ne illarum memoria extinguatur, si quid præclarè actum est, huic humanæ fragilitati hominum industria occurrit. Optimè igitur comparatum est, vt humana conditio imbecillitatis suæ conscia sibiipsi consulat opportunè; & debilitati, quæ ex se oritur, dum potest, in tempore medeatur. Quicquid enim ars gignit, quicquid ingenium ex se parit, parum prodesset in posterum, nisi memoriæ præsidium extaret. Hinc, ne silentio tantũ boni obruat obliuio, rerum gestarum monimenta, & literæ repertæ sunt; hinc ad hominum commodum picturæ, & statuæ inuentæ, & ad id ipsum adhibitæ sunt, quæ & tueri memoriam, & vim virtutis omni tempore testari possint. Sed nobiles disciplinæ, id quod dicimus, adiuuantibus elogijs, melius, quàm picturæ, & statuæ efficiunt; in quibus, quoniam nostrates homines, secus, ac nonnulli arbitrantur, magnopere excellunt, iure optimo res ipsa flagitat, vt quibus rebus olim, dum viuerent, sibi Florentiæ præluxerint, iisdem nunc lucubrationibus nostris celebrentur. Legenti enim nequaquam permagnus virorum principum numerus apparebit, qui persæpè nihil, nisi famam nominis fortunati secum ferunt; sed absolutæ, & perfectæ virtutis doctissimorum hominum decora occurrent, quibus perpetuò & patria hæc nostra illustratur, & animi eorum, qui legent, ad vim eandem exprimendam se incendunt. A me summi viri de claris artibus benemeriti elogia habebunt; Sed tamẽ aliquid exordij loco de statuis dicetur, quibus nonnulli ex no-

ftris ciuibus decorati sunt. Habeant sibi alij Cæsares, & Marios; glorientur in Metellis,& Pompeiis; dum nobis hac voluptate, quæ maxima est, frui, & veram virtutem, quæ in viris doctissimis mirabiliter floruit, ad nostrum commodum liceat contemplari. Non veniunt in mentem, quæ casu, & fortuitu facta sunt (vt in viris militaribus contingit) dum eiusmodi viros intuemur; sed virtus ipsa, mentis munditia, quoties rem propositam expendimus, miram quandam suauitatem molitur, & conficit. Iam verò mos ille, qui vultu, ipsisq; elogiis præcipuè exprimitur, quiq; sensus animi, vel vno tantum aspectu subitò fatetur, in hoc negotio quanti est præcipuè? quàm egregias cogitationes, & viriles in hominum mentibus exuscitat? Quid? benè moratæ ciuitates nonnè tribuunt multum huiusmodi rebus? & mores suorum ciuium nonnè hac ratione ornari arbitrantur? Quod intuemur exemplar, multum potest; vim habet, vt excitet, vt moueat, vt pellat segnitiem, aduocet industriam, & ad efficiendas res non dissimiles tacitè commoueat. Syrophani Aegiptio permultum debet seculorum omnium, atque hominum posteritas; qui cùm morte vnici filij inconsolabili dolore se conficeret, quò illius desiderium consolaretur commodius, eiusdem imaginem primus sæpè spectando, quàm sibi primùm effingēdam curauit, memoriam lenire consueuerat. Permultis enim huius viri exemplo, qui post fuerunt, placuit hanc facultatem dilatare; qui primò rem eandem secuti, varijsq; de causis inuitati hoc totum negotium mirabilibus artificiis auxerunt. Eis igitur, qui publicis muneribus, multaq; doctrina clari suæ Reipub. multum profuerunt, ita hoc genere laudis honor habitus est, vt publicis locis emineret, & rem ipsam præclaris monimentis testaretur. Ea vis in hominum illustrium animis esse putatur, vt inusitata omnino sit, & mirabiliter excellat; hæc cùm in vultu se se prodit, quid mirum est, si à cunctis expetitur, si, quoties se offert, tam veneranda sit, & tam visenda? Quod igitur nunc nonnulli ingeniosè in hoc negotio meditati sunt, multò ante viri multa doctrina insignes inuenerunt, & seculis post se futuris rem natura ipsa insignem tradiderunt. Romæ scripsit Messala, vir primarius, ne memoria virorum illustrium periret, de familiis Romanis complures libros; scripsit itidem Pomponius Atticus ingeniosè, & eruditè

de re eadem, hominū imagines suo volumini apposuit; & quid quisq; præclarè gessisset, paucorum versuum elogio declarauit. Quid sit hoc nobili labore consecutus, & doctorum hominum memoria testatur, & nostra hæc ætas præcipuo quodam modo celebrare non desistit. Res egregia, quam potest vnus quisque ad suum commodum imitari, facile perfecit, vt sit etiam nunc in honore, sit in precio apud omnes, atq; ad exemplum exprimendæ virtutis possit plurimùm. M. Varro eodem in negotio versatus septingentorum hominum illustrium nobilitatis nominibus, cùm vnicuiq; sua similitudo reddita esset, benè de humano genere meritus esse existimatus est. Et profectò hominis præsentia, in quo eluceat virtus, valet multum sua sponte; ad eandem virtutem, dum adest, homines commouet; suppeditat stimulos, quibus ad laudem vnusquisq; se incendat, & vt se exornet moribus optimis, hortatur. Nisi se huiusmodi præsidio excoleret natura, nisi vim suam, quæ per se parùm potest, adiuuaret, rudis esset perpetuò, atq; agrestis, & parùm commodè vires suæ virtutis explicaret. Vt idem faciant, quod alij fecerunt, res ipsa homines inuitat; vt rem eandem aggrediantur, naturalis cupiditas, atq; expetens laudis commouere solet; vultus verò per manus traditi quoties attenduntur, miras cogitationes in animis intuentium toties efficiunt. Non igitur facies quælibet, sed vultus, qui verus esse creditur, & similitudo summorum virorum potest multum, atque ad eandem vim virtutis quæ se se offert, exprimendam multum valet. Nonnè id potuit plurimùm in Cæsare, qui dictator dictus est? qui cùm acer in ferro, atq; otij impatiens esset, visa Gadibus Alexandri Magni statua, suspirasse dicitur; quòd cùm esset eiusdem ætatis, nihil a se simile actum esset, cum Alexander vbique victor nominis sui gloria orbem terrarum impleuisset. Extat prætereà Scipionis, qui minor Africanus dictus est, vox illa tam præclara, qua ingenuè testatur, animum sibi ad virtutem vehementissimè accendi, cùm imagines suorum maiorum intueretur. Vetus ille mos tam multis verbis probatus, quo multis seculis Roma vsa est, etiam nunc multis, verisq; laudibus extollitur. Nulla erat domus, nulla familia, in qua, si quis aliquid Reipub. causa præstitisset, illustrium virorum non extaret imago; quarum copia & primo ædium aditu spectabatur, atque ad exemplum

virtutis cunctis intuentibus proposita erat. Iam verò si quæ statuæ in vrbibus visuntur (quasi in eis ad virtutem excitandam vis quædam sit) nemo est omnino, qui sibi id non laudi ducat, & in sua supellectili rem præcipuam non existimet. Non excidit ex memoria nostrorum patrum, quod Ticini non multos ab hinc annos huius rei nomine factum est. Expugnarat Ticinum Lotrecchius, dux memorabilis; erat Ticini ænea statua equestris, quæ Antonini Imperatoris dicebatur. Hanc Hostasius Rhauennas, miles Lotrecchij, muros arcis, atque vrbis ascendens, cùm primus ante omnes in vrbem irrupisset, ab suo duce in hac expugnatione obtinuit, vt Rhauennam, in patriam præmij loco deportaret. Fuerat primùm hæc statua Rhauennæ; sed à Longobardis cuncta pœnè loca Italiæ obtinentibus, Ticinum fuerat abducta. Hostasius igitur tanto munere lætus, multis operis coactis, eam sua sede moliri, & conuellere nitebatur; cùm interea (nulla enim lababat ex parte) ex omnibus locis ad prohibendum subitò concurritur; populus enim, qui iam sæuitiam militarem fuerat expertus, quiq; vastitatem suæ vrbis patienter viderat, si iactura publici decoris facienda esset, paratus erat omnia pati potius, quàm vt res tam visenda, tam illustris è sua ciuitate auferretur. Parùm igitur res aberat à tumultu vniuersæ vrbis, hinc ciuibus obnitentibus, ne asportaretur, hinc Hostasio milite diploma ducis proferente, quo suam statuam iure belli iam factam esse clamitabat. Eunt igitur ad Lotècchium ciues vnà cum Hostasio copulati; & facta dicendi potestate, Franciscus Botticella, quasi multò plus, quàm ciuitatis status ageretur, deplorauit casum, si statua amittenda esset, tam variè, tam miserabiliter, vt lenito victore multis lacrimis, statutum denique fit, vt miles de suo iure aliquid remitteret, & pro statua tantum auri à Quæstoribus acciperet, quantum ad muralem coronam faciendam esset satis. Quamobrem si in vna statua tantum decoris situm esse arbitramur, quid ciuitati nostræ fiet, quæ tam multis statuis, eisq; admirandis est exculta? Statua verò equestris Cosmi, Magni Ducis, quæ principe in platea sita est, ea dignitate est, eo artificio, vt, si ingeniũ spectes artificis, antiquis statuis non concedat; si merita summi viri, qui exprimitur, intueare, omnino res ipsa cunctis viris præferenda esse videatur. Cosmus enim viros omnes, qui apud

nos

nos summi fuerunt, ingenij magnitudine superauit; qui reb: s publicis administrandis ea semper vidit, quæ fugerant alios; ea etiam præstitit, quæ sibi laudem, salutem populis quotidie afferrent. Artifex verò Ioannes Belga, dum virum, atq; equum miro exprimit artificio, miris omnino laudibus se extulit. Quicquid ingenio potuit, quicquid ex sua didicit arte, singulari studio in hoc opus contulit, & cùm hæc poneretur statua, industriè respondit. Honestauit se iisdem laudibus idem Ioannes in statua equestri Ferdinandi Magni Ducis; quæ in platea Diuæ Annuntiatæ paulò ante statuta est. Spirat equus pulcherrimè vim naturæ: &, vt se moueat ad iter, planè ostendit. Ferdinandus sua grauitate admirabilis, paternisq; vestigiis insistens, dum tota vita magnificè patrissat, hac illustri statua mirabiliter suam singulis horis rerum gestarum gloriam accendit. Statuæ igitur, si rem inspicimus, magnis viris, magnisq; pro meritis tribuuntur: sed illud tamen, quod Marius Gratidianus Romæ assecutus est, non ita laude videtur esse cumulatum, vt multum ei tribuendum sit. Erat Romæ quodam tempore ratio pecuniarum inconstans eo pacto, vt, quid quisque possideret, non esset exploratum. Variè iactabatur nummus; & in re nummaria nemo (vt mercatoribus mos est) in subducendis rationibus, vt in re explorata, affirmare aliquid poterat. Cùm esset Marius prætor, de communi sententia reliquorum prætorum statutum est, quid obseruandum esset; sed solus ille ante omnes edixit, quanti esset vnaquæque pecunia in re nummaria. Id ipsum pro summo beneficio ab omnibus exceptum est: magnoq; illi honori fuit. Omnibus vicis idcirco statuæ factæ sunt, atque ad eas etiam thus, & cærei adhibiti. Sed nostrum non est rem illis temporibus gratissimam secus interpretari, atq; illa æt as æstimauit. Cùm satis tamen constet pro magnis meritis summis viris statuas esse tributas. Vt Andreæ Dorio Genuæ marmorea statua posita est à suis ciuibus cùm multis meritis, tum præcipuè, quòd deuictis aduersariis suam Rempublicam optimum in statum sua virtute deduxisset. Vt suis ducibus equestres statuas Senatus Venetus libenter tribuit; quorum operam fidelem, & salutarem benè gesta Repub. cognouit. Permultos alios possem enumerare, qui, vt fructum amplissimum, dignitatem statuæ adepti sunt; nisi aliò instituta oratio vocaret.

Om-

Omnis Respub. maximè vigilat, vt sit sua ciuitas maximè felix, cunctisq; bonis feliciter fruatur. Id ipsum præter cætera curat: id ipsum studiosè molitur, & vt cunctis commodis, atq; vtilitatibus ciuium cœtus cumuletur, intentissima vigilantia vestigat. Quicquid est industriæ, ingenij, virium in ciuitate præcipuè, id omne ad conficiendam felicitatem adhibetur; quo in negotio non labori parcitur, non sumptibus: sed vt præsto sit res tam insignis, tam expetenda, quicquid vbiq; opportunum est, sedulò conquiritur. Ij, qui id efficerint, qui docuerint ingenio, qui iuuerint consilio, qui præclaris doctrinæ monimentis suam vrbem illustrarint, potissimùm deliguntur. Ex magno igitur numero clarissimorum virorum, qui apud nos magnis doctrinæ meritis ceteris sua virtute præstiterunt, delegimus ipsa lumina; qui si fraudati suæ laudis testimonio sint aliquando, elogium à nobis assequantur. Hi nunc sua sponte & mirabilibus dotibus lucent, & nostram hanc patriam egregiè illustrant. Delegimus, vt quisq; sua merita præ se fert, viros insignes singulari præditos virtute. Quamobrem vt rem eandem repetam, &, quod sentio, definiam, non eo nomine hos viros delegi, vt meo iudicio probatos à ceteris postea probatum iri censeam; sed vt iam consensu omnium probatos decorandos esse doceam; atq; vnà etiā ostendam, hanc nostram patriam clarissimis viris locupletem, cunctis penè seculis clarissimis disciplinis floruisse, quando, quod summum bonum est, sua ipsi industria confecerint, & ceteris deinde hominibus liberaliter tradiderint. Sed quoniam duplex felicitas est; altera, quæ rebus humanis, atq; hominū artificio conficitur; altera, quæ diuinis rebus, & Dei præsidio comparatur, vtramq; summis in viris sum complexus; sed diuinæ felicitati omnia tribuens, quæ iure optimo hoc nomine appellanda est; alteram, quæ rebus humanis tantum nititur, vix nomine eodem appellassem, nisi ab iis, qui de rebus publicis scribunt, suis in libris nominata esset.



ANTO-

DIVVS ANTONINVS ARCHIEPISCOPVS I.

ANTONINVS primò se se offert, Archiepiscopus Florentinus; vir ingenio mirus, mente verò omnium, qui sunt, qui fuerunt, eminentissimus. Hic lucubrationes tam multas scripsit, quæ diuinam sapiunt felicitatem (cum magnorum negotiorum curis quotidie distineretur) vt dum vitam, quam sanctissimè traduxit, vnusquisq; admiratur, scientiã rerũ omniũ in eo laudare non desistat. Primis ætatis temporibus quantæ virtutis vir futurus esset cùm probitate, tum etiam doctrina, multis indiciis fuit exploratum. Res enim ita acta est, vt nullo pacto dubia fuerit vnquam, aut obscura. Publicis locis frequens erat, dum diuinis precibus operam daret, suamq; animi salutem Deo commendaret. Exhauriri vitam cunctis ex viribus planè dixisses, si eum adorantem, dum adhuc puer esset, inspexisses. Quamobrem cùm sibi vita traducta liberius non satisfaceret, cuperetq; cupiditatem efflorescentis ætatis persæpè nimis exultantem sanctissimis moribus illigari, statuit grauiter sibi consulere, & Deo de meliore nota, vel puerili ætate, inseruire. Fuit illi cordi sacer cœtus Diui Dominici cùm insigni doctrina, qua semper floruit, tum multa sanctitate, qua fuit apud omnes admirabilis; hunc igitur cùm expeteret, crebrò secum, multumq; animo agitabat, vt in eum reciperetur. Ecclesiæ Diui Dominici, quæ ab vrbe Florentia passus mille abest, sub radicibus montis, vbi Fesulæ non longe sitæ sunt, vir cum primus honestus, multoq; vsu tractandæ familiæ experiens Ioannes Dominicus præsidebat. Excitabat ibi Ecclesiam Diui Dominici à fundamentis vnà cum ædibus, impensis tamen piorum hominum; &, vt quàm primùm habi ari possent, satagebat. Erat tunc Antoninus annorum quinde im, cùm ad hunc virum bono, ac firmato animo adiit; ab eo petiit demissè, vt in societatem eorum reciperetur, qui sub vexillo Diui Dominici Deo militarent. Hic tenùi valetudine, pusillis membris primo aspectu hominẽ commouit, vt in societatem nõ continuò asciceret. Breuitas corporis vt esset minus sanitatis, minus etiã ætatis fidem faciebat. Multis igitur verbis vltro, citroq; habitis, accerrimi ingenij puerum agnoscens, eundemq; sacris legi-

bus

bus delectari, cum identidem Pontificias sanctiones meminisset, monuit hilariter puerum, vt tantisper conquiesceret, donec se nonnihil roboraret; ediscerct interea Decretum, & anno vertente ad se rediret. Sentiebat admirabilis puer rem duram sibi impeiatam; sed quò erat ardua magis, eò, vt sibi, quod erat imperatum, succederet, magis laborabat. Cùm suam patientiam tentari intelligeret, exercuit se tamen eo pacto, tam multa cura, multisq; vigiliis, vt rediens ad constitutum tempus, facta interrogandi potestate, tam scitè ad ea, de quibus rogabatur, responderit, vt monstri simile videretur, tam multas res tam varias, tam inter se disiunctas vnius pueri memoriam comprehendere potuisse, quæ multos viros vel magno ingenio insignes defatigare potuissent. Obstupuit, qui aderat vnusquisq;, cùm ad ea, de quibus rogabatur, tam argutè responderet, cùm omnia tam minutatim in digitos memoriter cõstitueret; vt totum volumen sine errati suspicione, & sine monitore recitare posse memoriter censeretur. Summa omnium voluntate, quorum præcipuè intererat, receptus est sacram in societatem, pauloq; post Cortonam missus, vt, quo se sacris literis erudiret, viris doctissimis operam daret. Puerili ætate exercuit se non pueriliter; clarissimis enim in disciplinis dum viris eruditissimis dat operam, tantum didicit ingenij acumine, vt non æquaret solum, qui ætate antecederent, sed hominum opinionem, quæ grauissima erat excitata, anteiret. In Philosophia, atq; in logicis facilis fuit totius temporis quasi decursus; nulla rerum leuium occasio, nulla puerilium cogitationum facultas remorata est, quò minus optimis studiis deditus rem propositam persequeretur opportunè, & cõficeret egregiè. Et profectò mirum fuit, hominem infirma valetudine, pusilli corporis, ex quo Antoninus dictus est, res tam difficiles, tã arduas ediscere potuisse; qui viribus pænè destitutus, diruptusq; grauiter, vt aiunt, semperq; laboribus implicatus munia tamen publici oneris, & priuati obiuit scienter, & salutariter peregit. Ingenium multo labore, multaq; industria subactum, expediendis negotiis opportunum, quod erat propositum, excipiebat facile, & nauiter conficere consueuerat. Ingenij magnitudo maximè perhibenda fuit in hoc viro; quod enim ars grãmatica tradit, à præceptore didicit tantummodo; res cete-

ras, vt aiunt, nobilioresq; disciplinas suo sibi Marte, adiuuante ingenio, comparauit. Suis contentus viribus cunctos philosophiæ recessus subtiliter emensus rerum sacrarum regiones peragrauit; atq; id tam scitè, tam doctè, vt mirarentur ij, qui cum eo quandoq; disputarent; qui discendi causa audirent, laudibus efferre non desisterent. Cùm rem dissiparet rumor, & fama etiam augendo subsequeretur (rerum enim vsu, & annorum numero facta erat iam probitas robustior) ad dignitatem Archiepiscopatus Florentini, prensante nemine, vocatus est. Ad nomen plurimarum virtutum, & nobilium Pontifex Max. Eugenius IIII. excitatus hanc illi non petenti dignitatem obtulit; quæ fuit recusatio, supreme Deus, qui labor, honorem tā magnum ne acciperet? peterent alij è flamma dignitatem tam insignem, cùm hic, ne afficeretur honore, paratus esset omnia perpeti potius, & quid vis difficultatis exorbere. Nihil reliquit intentatum, quo à tantæ dignitatis gradu se eriperet, sibiq;, & Deo viueret, non hominum voluntatibus obsequeretur Fregit se ipse tandem, cùm Pontifex in sententia permaneret; victusq; dignitate viri conditionem cepit, & quo ad eius fieri potuit, vigilare pro multis, & nauare operam muneri sanctissimo instituit. Qui vir fuit suis in obeundis laboribus, in explicandis virtutibus, quas in libris legendis iam didicerat? qui ardor animi, vt dominaretur vis legum, vt ius suum probitas obtineret? Nihil ille, quod munus Pastoris vigilantissimi respiceret, omisit vmquam; exquirere in omnem partem, oculos intēdere ita consueuit, vt nihil eum fugeret, nihil ipse omitteret, atq; omnia admirabili quodam modo administraret. Concionatus est crebrò magno eorum emolumento, qui conuenērant; Sedebat in eius labris persuadendi vis quędam admirabilis Hic labor additus ad ceteras occupationes incendebat hominem, vt sibi non parceret, rationes conquireret, quibus, suis neglectis commodis, hominum vtilitatibus inseruiret. Vt salutem in suis, qui sibi commissi erant, lucraretur, ad sui vsque contemptum fortiter exarsit: atque id vnum spectans vt Dei negotium perageret, persæpè sui muneris prouincia peragrata corrigebat mores, proponebat virtutes, &, vt mens deprauata vitiis ad suam ipsius salutem se conuerteret, hortabatur. In disciplinis humanioribus aliquando commoratus, si quid inesset, quod

laudari poſſet, eliciebat vir ſublimis, rectisq; rationibus ad cõmodum muneris ſui conuertebat. Prębita eſt ingenio facultas tunc, cùm, quid in huiuſmodi genere poſſet, res ipſa comprobauit. Obierat Nicolaus V. Pontifex Max. cui Calixtus III. ſucceſſerat. Ad hunc publico Conſilio legatio nobilium virorum ex numero Florentinorum ciuium Romam decreta eſt; in qua princeps rogatus à patribus Antoninus fuit, qui orationem haberet, & noſtræ Reipub. nomine ſummam nouo Pontifici dignitatem gratularetur. Vir mirus in hoc negotio ſui ſimilis fuit; orauit tam venuſtè cum grauitate, tam magna gratia cum veritate, vt grauitati oratoriæ non deeſſet, & muneri ſuo ſanctiſsimè ſatisfaceret. Clariſsimorum virorum conſeſſus orbis terræ nobiliſsimus miram in cunctis faciebat audientiam; ſed viri ſanctiſsimi dignitas omnino rem viſendam efficiebat; nullum ei excidit dictum, quod corona nobilium virorum non expẽderet, nullum verbum, quod is, qui audiret, non notaret, res nulla denique acta eſt, quam ſedulitas vera, non artificium longè petitum non moliretur. Diſceſsit conſenſu omnium, ſed præcipuè iudicio Pontificis probatus. Profectus eſt iterum Legatus Romam, nobiliſsimis viris comitantibus, vt Pio ſecundo gratularetur; quam legationem, mandante patria, obiuit libens, & facultatem, quæ commiſſa erat, ſuppeditante ingenio, benè meditatus, vt ſolebat, grauiter peregit. Oratorem incenſum, acrem, agentem præſtitit res ipſa; magno tamen ingenio negotium actum eſt, vt artificium non deſideres; ſummis quidem viris ſatis eſt, vt rem breuiter poſsint intueri, dicendi præcepta non requirunt. Vt quicquid in hoc viro induſtriæ deprehenderis, bonitati naturæ, non artificio aſsignes. De ſummis meritis, quibus non ſine Dei Opt. Max. voluntate in numerum Sanctorum cooptatum eſſe Sancta canit Eccleſia, nequaquã hic ponam; aliàs præbebitur laudandi locus, (cùm breuitati nunc ſtudendum ſit) vt aliquando de illis agatur copioſius, & res tam magna magis commodè tractetur. Sed tamen, quod omittendum non eſt, tantum ille, quocumque ibat, opinionis ſanctitatis ſecum tulit, vt nemo eſſet, qui de eius virtute leuiter, aut mediocriter ſentiret. Contigit igitur, cùm eſſet Romæ, vt Eugenius Pontifex Max. grauiter ægrotaret. Præſtò illi fuit Antoninus; officia Chriſtianæ pietatis præſtitit, nunc

dolo-

dolores, qui morbo comitantur, vt patienter ferret, nunc æternæ salutis præmia proponens, eò hominem redegit, vt benè secum agi arbitraretur, si eo præsente, atq; in eius complexu, vt tunc accidit, moreretur. Iam verò in huius Pontificis interregno oneris Antonino permultum consensu Cardinalium commissum est; vigilauit igitur sanctissimè, vt in ferendis suffragiis abesset fraus, vt optimè vnusquisq; suo officio fungeretur, vt res in creando Pontifice rectè, atque ordine agerentur. Qua ille integritate animi rem suscepit, eadem summa diligentia præstitit, & vt desideraretur nihil, atq, omnia rectissimè fierēt, curauit. Quamobrem cùm de eo, qui erat successurus, ambigeretur, & qui clauum Reipub. teneret, quinque Cardinalium suffragiis Antoninus, vt Pontifex Max. esset, appellatus est; licuit enim tunc, cùm res de eligendo Pontifice inter Cardinales non conueniret, eos etiam, qui Cardinales non essent, ad Pontificatum vocare, parumq; abfuit, quin Antoninus ad supremum illius dignitatis gradum omnium vocibus efferretur. Scripsit ille humana quidem Minerua, si tantummodo verborum spectes artificium; sin sententiarum vim intueare, plus hic multò, quàm qui vis hominum persequitur, qui sublimi stylo eò progreditur, quò profectò mos vsitatus scribendi non aspirat; diuino enim spiritu afflatus, quoties de Deo dicendum est aliquid, quàm mirabiliter se se effert, quàm altè euolat, quā legentem vtiliter incendit? Dum eò, quò intendit, prouehitur, sentit lector tacitè se commoueri; experitur, se insciente, dum id agitur, quàm fructus sacrarum literarum sit suauis, quàm sit Sanctæ Ecclesiæ mysteriorum dignitas sublimis; vt, legendo cùm se non mediocriter incendat, cœlestibus iam bonis interesse, & salutem, quam exoptat, sitienter imbibere videatur. In opere, quod scribit de Virgine, Dei Matre, mirus est; quàm ille verè, quàm insigni dicendi copia rem pertractat; ita enim hanc virtutem pudoris, & sanctitatis considerat, vt in eam singulari inflammatum amore tacitè intelligas; ita sensus abditos sanctissimè dilatat, vt rem ipsam oculis planè perspicias. Sed tamen dum dotes contemplatur virginitatis, atq; in ea singulas res expendit, declarat satis apertè, quàm sibi tam magnum bonum sit cordi, quàm salutare in se experiatur, cunctisq; etiā bonis præferendum esse putet. Lucubrationes de virtutibus

quas scripsit miram, & viro sanctissimo dignam sapiunt sapientiam. Se ipsum pietate auget, qui legit; multa cognoscit, quę nullis in auctoribus inueniet; mens sublimis sublimia petit; dũ, quod scriptum est, intueris, dum contemplatis ingenij magnitudinem, vt altè euolat, eodem rapi te mirabiliter sentis, terrenisq; cogitationibus dimissis, cogitare cœlestia instituis. Satis se insigniter virtutibus exornat, qui hoc virtutum opus sedulò legit, &, quod in iis colligitur, grauiter attendit. In eo prætcrea, quod de censuris Ecclesiasticis inscribitur, sui similis est, immò seipsum vincit, qui factus ad grauitatem, quanta in eis sit virtus, quanta vis, & planissimè describit, & quanti sit facienda, omnes, quorum permagni interest, admonet præceptis sanctissimis, & hortatur. Nemo omnino grauius hãc facultatem, nemo magis seuerè tractauit vnquam: quod enim ille scripsit, cùm animo sanctissimè sentiret, tam acri stylo verborum, & sententiarum expressit, vt pœnam impiis, præmiũ bonis suis pænè oculis propositum esse intueri videaris. Facultas præterea concionaria, quæ in eis, qui curam animarum suscipiunt, tantopere necessaria est, viguit egregiè in viro sanctissimo; non ille humanè præceptis rhetoricis confisus concionatus est vnquam; fulgurare, & tonare, vt de Græcis quondam dictum est, verissimè de viro hoc sanctissimo dici potest. Factis enim, non verbis, virtutibus, non ineptiis persuadet, qui sua oratione Deum, non hominum opiniones perpetuò considerat. Quamobrem permultis in concionibus, quas variis in locis suorum librorum sparsit, videre licet, quàm crebras assensiones appositè commoueat, quàm sanctè delectet, quàm doceat vtiliter. Conficit verè, quod vult, qui veris rationibus innititur, sensusq; hominum sedulò comprehendens, quo modo vult afficit, &, quò vult, facile perducit. Quid? liber ille qui de faciendis concionibus inscribitur, nonne quanti esset vir eximius, planè ostendit? quæ res ad commouendos animos possit plurimùm, quæ docere scrutatur diligenter, ita vestigat studiosè, vt fideliter rectis itineribus te ducat, &, dummodo sanctissimè persuadere velis, res omnes tibi commodè suppeditet. Historia, quam scribit, & quam ab mundi initio ad sua vsque tempora perducit, & ingenij magnitudinem declarat, & admirabilem quandam diligentiam ostendit. Res gestas populorum,

vrbium

vrbium situs, hominum mores conseruatis temporibus ita com prehendit, vt quando velis, & vbi velis, suo ordine compareāt omnia, tuisq; cogitationibus commodè respondeant. Labor immensus, & summo artificio excultus homines doctos aliquā do commouit, vt diligenter legerent, & quæ maximè memoranda essent, accuratè notarent. Extiterunt in iis viri doctissi mi è Societate Iesu, qui res pænè innumerabiles, & scitu dignas grauiter notarunt, & eas, quas quotidie hominum vsus præcipuè requirit, ediscendas suo iudicio indicarunt. Adrianus por rò Pontifex Max. qui Antoninum in Sanctorum numerum alle git, quàm grauiter de viro eximio sentiret, egregiè ostendit; in Bulla enim Canonizationis disertè significat, multos scripsisse subtilius, neminem tamen, vt facit Antoninus, vtilius. Idcirco eum Sanctæ Ecclesiæ doctorem declarat, eundemq;, vt eius verbis vtar, in Sanctorum Confessorum, & Ecclesiæ Docto rum Decalogo adscribit. Quid? quod mirum est, & cunctis rebus præferendum, quod optimè scripsit, in se ipso etiam optimè expressit. Nihil est enim in suis scriptis, quod cum suis sanctissimis moribus non consentiat. Verissimo artificio pinxit se ipsum vir insignis, vt ipse Antoninus nihil aliud sit, nisi id, quod à se ipso scriptum est; quod autem scriptum est, nihil sit aliud, nisi Antoninus. Hoc certissimo testimonio decoratus, quicquid alij afferunt laudis, non attendit; neque aliorum eget vocibus, qui, dum virtutem exprimit, se ipsum insciens sine fuco mirabiliter describit. Erat, vt dictum est, pusilli corporis, atque exigui Antoninus, sed in ferēdis laboribus excelso animo, & sublimi; de quo illud benè dici potest;

Maior in angusto regnabat corpore virtus.

Iure optimo idcirco canon canonū Etruriæ, & Latij dictus est.

ALOYSIVS MARSILIVS. II.

CELEBRAVIT antiquior ætas ob multa merita Aloysium Marsilium, multùmq; laudis iure optimo ei tribuit. Virtus clarissimi viri magna fuit, dum vixit; vt sua sponte admirabilis omnem Italiam, atque etiam exteras regiones peragrata vbiq; locum omnem sui nominis gloria impleuerit. In ani mo doctissimi cuiusq; viget etiam nunc memoria tanti viri; quæ

nec

nec obſoleuit obliuione, nec diuturnitate temporis extincta eſt. Ingenio magno fuit; cuius præſidio nobiliſsimas artes complexus tantopere profecit, vt ſibi ſapientiæ apud omnes magnum nomen compararit. Fuit illi cordi potiſsimùm vita optimis moribus, ſanctiſsimiſq; diſciplinis inſtituta. Quamobrem & ſua ſponte, & diuinis monitis inuitatus in ſacram militiam Diui Auguſtini Eremitani Ordinis cooptari voluit; vt qui vitæ munditiam diligeret, à vulgari ſe conditione hominum remoueret, & Deo curas omnes, & cunctos vitæ ſenſus forti animo dicaret. Aetas puerilis traducta primùm eſt optimis ſtudijs, & liberalibus. Sitienter imbibit, ingenioſè percepit, quod diſcendum erat, nec vmquam maioris ætatis cuiquã conceſsit. Exarſit ille ſingulari quodam modo ad laudem ſua ſponte; animoq; inflãmato mirabiliter ſeſe commouit, ſimul atque virtutis via demõſtrata eſt. Præclara indoles, & ſuarum virium conſcia primis ætatis temporibus & ſapere grauiter viſa eſt, & humanæ imbecillitatis oblita ea ipſa appetere, quæ perrarò robuſtior ætas ſolet intueri. Adde cupiditatem in bonas artes, adde animi propenſionem nullis vitijs inquinatam, quamquam iure optimo vim ingenij probes, ſingularem tamen induſtriam admirari nõ deſiſtes. Audacter diſciplinas clariſsimas annis florentibus adiutus animi dotibus complexus eſt; quibus tam longè, lateq; ſe extendit, vt etiam nunc fama admirabilis ingenij vigeat, &, quãta iam fuerit, oſtendat. Quod autem ad hoc vſq; tempus memoria clariſsimarum rerum non ſit imminuta, ſed multis ſeculis permanſerit, ſatis, vt opinor, indicio eſſe poteſt, vim quandam in eis conſtitiſſe, quæ perpetuò poſſet celebrari. Durat, vt apparet, adhuc ſummi viri gloria, quam nec temporis limauit diuturnitas, nec hominum obliuio imminuit; ita laus continenti tenore per manus tradita, nunc quanta iam fuerit, mirabiliter oſtendit. Admirandæ indolis vim odoratus eſt Frãciſcus Petrarca; qui cùm eſſet exacta ætate, Aloyſium, quis eſſet, vix egreſſum è pueris cognouit, & quantus paulo poſt futurus eſſet, ſedulò prædixit. Emerſit vel florentibus adhuc annis virtus inſolita, & inſignis; multò eſt cunctis viſa generoſior, quàm quæ in ſingulis quotidie conſpicitur; quæ cùm ceteros tam valde anteiret, ſui nominis laude clariſsimorum hominum laudes corrogauit. Expectationem, quæ minimè mediocris excitata

citata

citata est, non fefellit Aloysius; perfecit enim, quò se magis cor roborat, vt maturior ætas ita suo cum initio consentiret, vt Petrarcæ, ceterorumq; virorum illustrium opinioni responderet. Dedit igitur operam, vt se probitate primùm communiret, deinde ita animum nobilibus artibus ornaret, vt, cùm coniungeret virtutem cum doctrina, operam suam vtiliter nostræ ciuitatis Reipub. & castissimè nauaret. Animus doctrinis exquisitis subactus, atque integer, bellissimè præstitit vtrumque; nobilissimorum iuuenum idcirco magnus ad eum discendi causa factus est concursus; disciplinas enim varias, & clarissimas edoctus potuit ille permultis satisfacere; quibus docendi officio dictu mirũ est, quàm cupidè inseruierit, quàm responderit nauiter, quàm multos suis sibi beneficijs deuinxerit. Præclaris in artibus qui vir fuerit, permagnus summorum hominum, & discentium numerus declarat. Præter ceteros eminent Robertus Roscius, Nicolaus Nicolus, Ioannes Laurentius, viri planè doctissimi, atq; omnium iudicio probati. Aloysius verò acer ingenio, & vehemens in disciplinis Peripateticis enituit; ex eis tantum didicit, quantum ad summos homines erudiendos esset satis; eò tamen, quò se exercuit, ita ingenij præsidio peruenit, vt acerrimis in disceptationibus esset admirabilis, & in tradendis disciplinis utiliter opportunus. Testis est Poggius, vir insignis, qui eum ob multa merita dilaudat; testis est Leonardus Aretinus, qui suo quodam iure multis laudibus afficit; accedit laudatus vir celeberrimi nominis Petrarca, qui eum non solum summis cum viris comparat, sed cunctis omnino præferendum esse putat. Nõ ille literas Sacras labris primoribus gustauit, sed, vt se ornaret intimis sensibus, maximè studuit; vt doctissimorum hominum more haberet publicè scholas, & de rebus grauibus copiosè, & subtiliter dissereret. Hanc doctrinam in se, quoad potuit, excoluit, fouit industria, ingenio auxit, cunctisq; etiam ad se adeũtibus liberaliter impertijt. Quod maximè perhibendum est, fuit nobilibus in doctrinis insigniter eloquens, & in summa eloquentia mirabiliter insignis. Potuit enim appositè, quoties fuit opus, & munus oratoris obire, & grauibus in disceptationibus, vel doctissimis viris audientibus, consistere. Magna ingenia res magnæ decent; Nihil fuit claris in auctoribus insigne, quod non didicerit; nihil egregium, quod non cognouerit; nihil tam abdi-

abditum, aut tam difficile, quod sibi præcipuè ediscendum nō putarit. Peruasit igitur ingenij magnitudine, quò Augustini, quò Hieronymi; eò se feliciter extulit, quò Chrisostomi, quò Ambrosij peruenerunt. Dicendo tantum potuit, vt eo ipso orā te, eos qui audirent, commoueret grauiter, & vi quadam admirabili in suam sententiam traduceret. Vis quædam vehemēs virtutis, atq; admirabilis in eo conquiescere non poterat; magnum semper aliquid, in quo se exerceret, postulabat; vt faceret egregiè, vt prodesset multis, potissimùm studebat. Sermo grauis, & decorus diuinum quiddam olere videbatur; quoties de superiore loco ei dicendum fuit, oratio multa conficiens, & capitalis inusitato quodam ex fonte eloquentiæ profecta, quàm copiosè, quàm egregiè, quàm sanctè in eorum, qui aderant, animos influebat? quàm id facilè, quod concupierat, docere, quam scienter, & ornatè commouere solebat? Cùm virtus summi viri magnum iam nomen adepta esset, statuerunt nostræ Reipub. ciues eandem publicis in negotijs adhibere. Appellatus igitur Aloysius huiusce rei causa & hominum expectationi egregiè respondit, multoq; etiam plus, quàm petebatur, explicandis multis virtutibus præstitit. Datum est ei negotium, vt legationes Reipub. causa ad viros principes obiret, magna auctoritate de rebus publicis ageret, &, vt res postulabat, ad suum arbitriū liberè transigeret. Præterea quoties esset Senatus, publicis consilijs intererat, afferebat in medium, quid sentiret, multùmq; sua sapientia publica commoda augebat. Apud quos ille viros principes in obeundis legationibus suam operam Reipub. nauarit, & quo etiam tempore contigerit, literarum monumentis parùm constat; rem omnem penitus obliuio obruisset, nisi in principe æde extaret sepulchrum, quod summo huic viro huius rei causa, multaq; etiam ob merita publicè tributum est. Nostra enim ciuitas homines benè de se meritos magnis profectò præmijs prosequi solita est; vt dubitare debeat nemo, quin Aloysij in nostram patriam maxima extiterint merita, qui post mortem publico sepulchro decoratus tam magna sit signa beneuolentiæ adeptus. Non omni tempore, nec leuibus de rebus, sed perrarò, grauissimisq; negotijs tam clarum virtuti testimonium tribuitur. Insigni sapientia, summo ingenio, nobilissimis artibus præditus sit necesse est, cui tantum decoris defertur. Verborum

sonitus, & pecuniarum dona inania sunt, si sepulchri honorem omnino spectes; non hominis conditio, sed virtus nullis fucata laudibus decoratur; habeant ceteri iactationem in populo, exultent vanis vocibus, dum modo liceat summo huic viro firmissimo hoc testimonio quodam modo secum gloriari, qui magnis meritis adeptus est, quod planè cunctis laudibus est praeferendũ. Statuis quondam priscis temporibus honor magnus habitus est, & nunc etiam habetur; sed dignitas sepulchri ea ratione excellit, vt ei iure optimo praeferatur. Permultis statuae multis meritis publico consilio decretae sunt, paucissimis sepulchra, vt Cicero factum esse Romae praecipuè testatur; qui Ser. Sulpitio, viro clarissimo, quod mortem in legatione obierit, dum ad id hortatur Senatores, sepulchrum amplissimi meriti nomine sua sententia decernit. Statuae intereunt, verborum laudes obsolescunt, sepulchrorum dignitas in dies fit sanctior, &, quod summum est, vetustate augetur. Quid? quod nobiscum facit, in ipso Aloysij stemmate, quod sex rosis praecipuè conficitur, non ne aquila supra addita est? quo insigni, dum esset in legatione, ab Imperatore donatum esse Aloysium putamus. Quae domi grata suis ciuibus virtus semper fuit, eandem longinquis in locis viris principibus gratam fuisse arbitramur. Non vnius viri, sed omnium hominum vna est sententia, admirandae virtutis hominem fuisse, qui viros prudentia insignes ad se tam magno honore afficiendum ingenij magnitudine impulerit. Quod vir cucullatus publicis consilijs interfuerit, negotiaq; publica tractarit, legationes etiam publico nomine obierit, tam magnum est, vt numquam paenè contingat, & nisi testimonij causa tam multa prestò essent, nequaquam credibile visum iri sum arbitratus. Aloysium praeterea legationes publico nomine obijsse cùm purmulti dicunt, tum Leonardus Arretinus (qui eodem paenè tempore vixit) prę cipuè testatur. Hic in maximis Reipub. perturbationibus nostrae ciuitatis & flagitatam esse industriam, & adhibitam affirmat. Docendo ille, & legendo muneri suo, hoc est summae virtuti, numquam defuit. Multa scripsit, quae partim hominum negligentia, partim iniuria temporum perierunt. Extant tamen, quae etiam nunc asseruantur, theologicae quaestiones mirabiliter vtiles; vetus itidem, ac nouum Testamentum heroicis versibus exaratum; opus profectò translatum miris modis, si laborem

ſpectes, omni ex parte laude efferendum; ſi ingenium, iuſtiſſimis de cauſis probandum. Nihil ei, quod ſit inutile, excidit vmquam; nihil, quod ſumma cum gloria non ſit coniunctum. Integer vita, doctrina admirabilis quicquid attigit, gloria cumulatum ſemper præſtitit. Quod autem in Elogio Ioannis Acciaiolij ſcriptum eſt, Aloyſium nihil ſcripſiſſe, nequaquam ei, qui multa ſcripſit, fraudi eſſe debet; decem enim viri typis ante ſunt impreſsi, quā hi viginti nūc editi ſint; admoniti enim poſtea, ne Aloyſius ſua laude fraudaretur, ſedulò curauimus. Scripſit, vt diximus, multa, quæ non ſine magno dolore hominum doctorum, & intelligentium deſiderantur. Tam magna de virtute tanti viri apud ſuos ciues erat opinio, tam grauis auctoritas, vt quod ille cenſeret, faciendum eſſe omnino cogitarent. Id eo tempore patuit præcipuè, anno 1387. cùm Senatus Florentinus conſultus ab vnius partis legatis, de duobus Pontificibus, quid ſentiret (cùm vterq; ſibi vni Pontificatum aſſereret) Aloyſium conſuluit potiſsimùm, &, quod ille cenſuit, faciendum eſſe iudicauit. Volumina optimorum librorum, qui erant illi in amoribus, vndiq; collegit tam ſumma cum voluntate, vt ſummus cumulus ampliſsimæ bibliothecæ inſtar eſſet. Vir inſignis, & alto ingenio præditus, quantum valeret virtute, his præclaris monimentis præcipuè oſtendit. Hos ille libros omnes Eccleſiæ Sancti Spiritus legauit; qui incendio ſacrarum ædium anno 1471. miſerandum in modo perierunt.

LAPVS A CASTILIONCHIO. III.

LAPVS à Caſtilionchio, vir memorabilis, & iuris ciuilis peritiſsimus peregregiam laudem ſecum affert, multamq; ob virtutem, quam apud omnes præ ſe fert, iure optimo ſummis in viris numerandus eſt. Is nobili genere Florentiæ natus eſt; nobilibusq; parentibus nutritus multa vel puerili ætate didicit; iis rebus adiutus, poſteaquam ſe corroborauit, ſpem magnam futuræ probitatis, & virtutis de ſe præbuit. Ex ea familia Lapus ortus eſt Florentiæ 1322. anno, quæ originem à viris clariſſimis ducit, qui quondam in Quonam oppidum vallis Seuæ imperium habuerunt. Hominibus, atque opibus fuit hæc gens potentiſsima, & longe, lateq; non ſolum in valle Seuæ amnis domi-

dominata est (cuius rei post longi temporis spatium non obscura etiam nunc vestigia apparent) sed in valle etiam Arni superioris; quo in loco 1204. anno, sicuti extat solennis stipulatio, Sinibaldus, Rainerius, & Aldobrandinus Faellam, & Faillam cum Pulicciano Ricasulis dederunt, vt ab eis Castilionchium compensandi negotij causa reciperent. Ex qua emptione factum est, vt familia à Quona nominari desita sit, atque in eadem nomen Castilionchij perpetuò insederit. Non erit igitur mirum, Lapum ipsum, cum à tam nobili stirpe, & tam generosa fuerit profectus, euasisse inferioribus temporibus tam insignẽ, & egregium. Impellebat eum ingenij magnitudo; inflammabat singularis animi cupiditas: &, ne vllam in partem ab suis maioribus degeneraret, studiũ veræ laudis hortabatur. Hic igitur vt iuri ciuili daret operam, Bononiam se contulit; vbi, cùm esset progressus maximos adeptus, doctissimi iuuenis, optimisque moribus præditi dedit documenta. Contigit eo tempore cùm Respub. nostra summa pace frueretur, anno præsertim 1348. vt publico consilio publicum gymnasium Florentiæ aperiretur: ad id, quò floreret magis, nostra ciuitas Doctores vsquequaq: doctissimos vocauit, magnisq; præmijs inuitatos ad se facilè perduxit. Mouit igitur Lapum & patriæ amor, & rei dignitas, atque hominum doctissimorum auctoritas; præcipueque Lapi Abbatis Diui Miniati, viri consultissimi, vt se Florẽtiam læto animo reciperet; vbi, cùm eidem Abbati daret operam assiduè, quod antea didicerat, mirabiliter locupletauit; habendisq; scholis ob doctoris insignia magna laude affectus est. Clarissimis suis ciuibus notus multorum, atq; eorum potissimùm, qui summis præerant magistratibus, beneuolentiam collegit. Tractandis ciuilibus occupationibus, paulatim virtus tanti viri cœpit fieri illustrior; additis præterea nobilibus disciplinis, nulla occupatio tam magna erat, quam obire non posset nauiter, & singulari vigilantia conficere. Itaque cùm sui faceret potestatem suis ciuibus, consultusq; esset de rebus controuersis, aucta est in eo auctoritas, magnusq; negotiorum concursus ad eum factus est. Id ipsum contigit non populari fauore, qui tamen in huiusmodi rebus spernendus non est, sed magno iudicio summi magistratus nostræ ciuitatis; quæ, quoties vsu venit, vt grauis disceptatio in rebus publicis oriretur, Lapũ

præcipuè appellare solita erat, magniq; ponderis causas, vt ipse decerneret, doctissimi viri industriæ committere. Delectus itaq; persæpè arbiter, singulari studio, acri vigilantia onus summi muneris persecutus est; quo in negotio cùm clarissimis magistratibus mirabiliter responderet, summoq; iuri, summæq; æquitati satisfaceret, eos omnes, quorum res agebatur, dimittere à se placatos consueuerat. Vir mirus, atque aditu facilis benignè excipiebat omnes, præbebat patienter aures, summaq; sapientia res singulas perpendens, vt ipsa vis legum, & veritas postulabat, potissimùm statuebat. Quantopere his rebus gestis cunctis hominibus se probauerit, consensu totius Reipub. apparuit. Oblata est enim, magno proposito præmio, honestissima conditio, qua Florentinorum iuuentutem cùm moribus optimis, tum ediscendis legibus ad sapientiam erudiret. Hac opportunitate ius ciuile professus est superiore è loco; docuit tam facilè, vt esset nemo, qui sibi satisfieri non affirmaret; tam scitè, tam appositè interpretatus est, vt rem ipsam intueri vnusquisq;, & complecti videretur. Vir profectò insignis doctrina, atque in causis tractandis admirabilis euasit: nemo ab eo petiit opem frustra; nemo fidem, atq; industriam desiderauit; qui cùm iuris esset consultissimus, quoties appellabatur, deerat nemini, sed quicquid poterat, in medium prompto animo afferebat. Vigebant huius viri ætate duæ illæ factiones, Guelpha, & Ghibellina; quibus tota Italia, & magnis fuit calamitatibus addicta, magnisque dissidiis quandoque succubuit. Etenim cùm eiectis Ghibellinis, importunis hominibus, nostra se ciuitas sublcuasset, vt perpetuo, tranquilloq; vitæ statu frueretur, quattuor homines, qui Sapientes vocabantur, graui consilio delegit; in quibus noster hic Lapus numeratus est. Excogitatos igitur à se mores in Rempub. induxit cunctis bonis probatos; leges præterea tulit salutares, atque optimas; quas si per homines turbulentos exercere licitum esset, non dicam multos annos, sed perpetuò nullum motum nostra ciuitas, vel furentibus seditionibus, sentire potuisset. Quamobrem præualentibus Ghibellinis, anno 1378. exarsit dira seditio de repente, atq; eidem, eiusq; popularibus aqua, & igni interdictum est, tanta sæuitia, vt direpta supellectile, inflammata sit domus, atque vsque ad solum deinde hostiliter excisa. Fuerunt

ædes huius nobilissimi viri non longè à templo Diui Remigij, atque à domibus Albertorum ciuium. Quamobrem Florentia expulsus Romam è vestigio se contulit; atque ab Pontifice, Vrbano Sexto summa cum beneuolentia exceptus est. Etenim qua si diuinaret, tempore ipso deinde Pontifici se se obtulit, cùm posset sanctæ Ecclesiæ suam operam nauare. Erat tum Romę Carolus Tertius, Rex Pannoniæ, cui de Regno Siciliæ, & Hierusalem contentio quędam minimè mediocris cum Pontifice intercedebat. Aduentus igitur Lapi opportunus vtrique gratus fuit; ita enim variis disceptationibus proponendis vir clarissimus se se gessit, vt Pontifici mirabiliter gratus Regem sibi magna industria deuinciret. Cùm esset causa, vt res inter eos conueniret, tulit Lapus ciuilis pacificatoris laudem, amplissimisq; præmiis affectus est. Erat tum Carolus Rex Regni Siciliæ, & Hierusalem, eiecta Ioanna, nominandus; sed aliò Pontifex, aliò Rex rē trahebat; eas proponebat conditiones Pontifex, quibus si Rex fuisset vsus, necesse esset omnino, vt Regni iura minuerentur, minusq; commodi, & dignitatis ad Regem deniq; perueniret. Conuēnit igitur inter Regem, & Pontificem, vt sibi quisq; arbitros deligeret, quibus rem committeret, & quod statuerent, ratum deniq; haberet. Quinque Cardinales iuris vtriusque consultissimos delegit Pontifex; Rex verò vnum tantummodo sibi Lapum cooptauit: præter eum habebat fidem nemini; in eo omnia sibi sita esse arbitratus est. Magnus honos in hoc negotio Lapi agitatus est; nec Regem sapientissimum hominem mira Lapi industria fefellit. Proponendis enim conditionibus eum finem habuit contentio, vt pars vtraque contēta suis commodis, sublatis disidiis, lætaretur vehementer, & rem omnem vnius Lapi industriæ referret libenti animo acceptam. Hoc nomine lætatur Pontifex, exultat Rex, laudat vterque Lapum; & cùm inter eos conueniret, vt vsitatis cęremoniis corona Regia Rex insigniretur, vocauit Lapum ad se Pontifex, præsente Rege, cunctaq; etiam cohorte, atq; his verbis vsus est, Rex Carole, Rex Carole, hic Lapus (acciderat enim Lapus ad genua) ita perpaucorum hominum est; vt eum habere debeas præcipuè commendatum; effecit enim suo ingenio, vt esses Rex. Quibus verbis respondit Rex, satis esse sibi exploratum, quantus vir esset, quanta fide, & doctrina; eoq; nomine se quàm ma-

ximè

ximè Pontifici eundem vicissim commendare; quòd cùm vtrique esset cognitum, quantopere illi præcipuè Sanctæ Ecclesiæ, & sui Regni iura cordi essent, non esse dubitandum, quin, cùm vtriq; carus esset, vtriusq; beneuolentiam ob multa, magnaq; merita experiretur. Satis tamen constat, rem controuersam fuisse eo pacto, vt parùm abfuerit, quin Rex, & Pontifex, re infecta, vterq; ab altero discederent; &, cùm dissentirent vehementer, secutum esse Lapi opera mirum consensum vtriusq; partis, & rem à summo mœrore ad incredibilem lætitiam peruenisse. Discedens Carolus Roma cum exercitu (ad Regnum enim Neapolitanum recipiendum profectus est) reliquit Lapum suis in rebus omnibus aduocatum; ad eum se scripturum, quid opus facto esset, & vt se gereret, vt antea factum esset, benignè, & grauiter admonuit. Non multum intercessit temporis, vt mortem obiret Lapus, multis non suorum tantum lacrimis, sed eorum etiam omnium, quibus vir summus notus erat. Magno dolore Rex, & Pontifex affecti sunt; doluit Pontificia cohors vnà cum Cardinalibus, vt ei, quem consultissimum, & prudentissimum meminerant, numquam se parem repertur um esse affirmarent. Dolore totius corporis quatiebatur, cùm ei dictum est, appropinquare cum Sacramento Eucharistiæ Sacerdotem; Nulla igitur commodi sui ratione habita de repente desiluit de lecto, flexisq; genibus sacrum Christi corpus adorauit; & sumpsit tanta pietate, vt caderent cunctis lacrimæ, qui aderant, & suam vicem viri clarissimi interitum miserari non desisterent. Vita igitur integerrimè acta, & summi decoris vim nobis reliquit, & summum desiderium propter singulares virtutes secum tulit. Se ipsum enim primò, deinde ob multa merita suam familiam illustrauit. Quoties enim res grauis, aut controuersa incidit, ad Lapi iudicium referebat Pontifex, atq; eius industriæ committendum existimabat. Cùm Sanctæ Ecclesiæ quotidie operam nauaret, magnaq; negotia conficeret, Aduocatus Consistorialis summa voluntate Pontificis declaratus est; vt haberet (qua in facultate valebat plurimum) vbi se exerceret, atque in dies fieret illustrior. Prouehente itidem Pontifice, Bernardus eius filius dignitate Canonicatus principis nostræ ædis decoratus est; quo in negotio sacris muneribus suam operam, & strenuè nauauit, & quantopere vitam suam sanctissimis moribus,

bus, optimisq; artibus munierit, egregiè multis occupationibus susceptis declarauit. Honestauit præterea Pontifex Lapum dignitate Romani Senatoris; qui honos non nisi viris clarissimis tribuitur. Lapus enim patria pulsus, cunctis præsidiis spoliatus vna virtute duce subleuatus est; fulsit eius splendor ad oculos virorum principum, nec passa est, vt perpetuò in tenebris iaceret, qui præcipuam ad res præclaras illuminandas vim habebat. Decus enim non mediocri cum commodo admistum perfecit facilè, vt Lapus vitæ splendori non deesset, sumptusq; necessarios suppeditaret. Cùm floreret ciuitas nostra summorum virorum maximis ingeniis (ne rem tam grauem silentio prætercam) contigit tunc potissimùm, vt Lapus hic noster tractandis grauibus negotiis floreret. Missus enim Legatus publico Consilio varias in regiones ad viros principes grauissimis de rebus, satis indicat, quantus vir esset, & quanti fieri iure optimo deberet. Fuit illustris Legatio ad Vrbanum Quinctum, Summum Pontificem, qui tum sacra cum cohorte Auenione cōmorabatur; principes erāt in comitatu Nicolaus Albertus, prudentiæ laude insignis, & Carolus Strozzius, vir sapiens, & grauis. Homini igitur de nobilibus artibus tam benè merito mira audientia facta est. Neque enim Lapus vna iuris ciuilis scientia contentus fuit, sed, vt magnis negotiis satisfaceret, dicendi vim copiosè, & enucleatè mirabiliter adamauit. Ad eundem Pontificem, cùm esset ille Viterbij, legationem Lapus itidem suscepit; affuit, cùm id ageretur, Alexander Antellensis, insignis iuris vtriusque doctor, & vir valde honoratus. Legatione præterea functus est ad Gregorium XI. cū esset Anagniæ; actum est tunc, vt res nostræ Reipub. cùm Pontifice conueniret; cùm vterque ab altero vehementer dissentiret. Præsto fuerunt in comitatu Pazzinus Strozzius, Alexander Antellensis, Simon Peruzzius, Benedictus Albertus, viri prudentia insignes, & nobilitate præcipuè illustres. Missus est præterea Genuam, comitantibus Francisco Rinuccinio, Stoldo Altouito; legatioq; è Repub. Florentina summa cum dignitate explicata est. Senas præterea euntem secuti sunt Nicolaus Tornaquincius, Philippus Cauiccinlius, & Ioannes Mozzius; res acta strenuè perfecit, vt ab omnibus Lapus non mediocriter gratiam iniret. Ad Lucenses demum legationem suscepit comitante Nicolao Tor-

naquin-

naquincio; quam & obiuit prudenter, & quod erat mandatũ, nauiter peregit. Vir singularis nobilibus laboribus semper intentus multa ingenij sui monimenta reliquit, quæ, quantum valeret, doctissimis lucubrationibus ostendunt. Tractatus insignis est; in quo agitur ab eo de vera nobilitate. Multis quæritur rationibus, quæ nam sit ea nobilitas, de qua disseritur; quãti ea sit, quàm colenda, ita multis verbis rem persequitur, vt probetur postea pulcherrimè, & necessariò concludatur. Huius rei exemplar Florentiæ apud nos in bibliotheca Diui Laurẽtij summa cum diligentia conseruatur. Tractatus de Canonica portione doctissimus vtique est, atque admirandus; qui & viri clarissimi vim redolet, magnoq; precio ab iis, qui rerum sunt periti, vbiq; æstimatur. Tractatus præterea de Hospitalibus fonte ex eodem profectus eodem modo in precio est, atq; à doctis miris laudibus afficitur. Liber verò de Allegationibus, siue consiliis mirus est omnino, atque aureus; summo ingenio id opus, magnaq; doctrina, vt apparet, conflatũ est; quicquid habuit Lapus ingenij, quicquid industriæ, doctrinæ (cùm multa legerit, multa didicerit) in hunc librum sedulò contulit. Profuit tunc illis, à quibus in re præsenti Lapus est consultus. Nunc non minus prodest, aut potius dilatatus typis prodest magis. Nemo est, modo ius ipsum profiteatur, & de iure præcipuè respondeat, qui eo veris in causis non vtatur, suisq; in bibliothecis non adhibeat. Clarissimo enim iure consulto carere minimè potest, qui maximè est iure consultus; ita enim agitur causa à viro doctissimo, vt veritas, non fucata malitia, res ipsa, non calumnia litium vlla conspici posse videatur. 140. Consiliorum numerus totius pænè iuris instar est; quo si quis benè, atq; industriè vtitur, satis sibi appositè, & verè iureconsultus haberi poterit. Extant orationes variæ, quas diuersis habuit in locis, dum patriæ legationis munere inseruit. Non minus ei facultas iuris ciuilis, quàm vis oratoriæ artis nota erat. Qui Rempub. tractent, deliguntur homines cùm magno ingenio præditi, tum summa virtute cumulati; qui curam sibi creditam tueri, & dignitate, & commodis augere dicẽdo possint. In quo quanta fuerit Lapi dignitas domi, forisq;, summa dignitas eorum, qui Lapum comitati sunt, indicio esse potest. Legitur præterea Epistola ad Lapum missam Francisci Petrarcæ

satis elegans; vir illustris à viro illustri commendatus, mirum, quantopere delectat, quàm cunctis laus præterea insignis iure optimo probatur? Vir benè doctus & doctrinam viri clarissimi mirabiliter perpendit; & quanti sit, suo testimonio (quò quid grauius?) confirmat. Hæc familia à Castilionchio quàm semper à pietate insignis fuerit, quàm generosa, vel ex hoc facilè apparet; etenim, cùm fuerit à multis diuitiis copiosa, multas Ecclesias suo sumptu à fundamentis excitauit, donis affecit, cõmodis auxit; &, quibus rebus potuit, locupletauit. Fuit præterea alius Lapus, Auerardi filius, Lapi superioris nepos, miro ingenio præditus, literisq; nobilibus ornatus. Hic doctrinam multiplicis generis edoctus, cùm linguam Græcam, & Latinam egregiè didicisset, ex Plutarchi Græca lingua xiij. vitas virorum clarissimorum in Latinam linguam multo labore, multaq; industria conuertit. Vix sibi forè licitum arbitratus est, vt, iam tã multis literis illustrata familia, cessaret vtique, vt iis præcipuè mos esset, qui nulla imitandę rei præclaræ facultate vterentur. Indoles insignis florentibus annis id dedit virtutis specimen; vt si diutius vixisset, nemo eum ingenio, & literis superaturus videretur. Raptus è medio flore ipso ætatis, cùm suos dolore affecisset, mirum eis itidem, qui eum nouerant, desiderium reliquit. Quantus erat vir futurus, quàm mirus, quàm experiens, qui vix medium vitæ cursum ingressus (mortuus est enim anno tertio, & trigesimo) tot monimenta admirandæ industriæ reliquit? Floret hæc familia etiam nunc, quæ à Castilionchio dicta est; cuius pars minimè illa quidem à Castilionchio diuulsa, sed adiecto nomine Zanchinia nominata est, cùm vna, eademq; re ipsa sit. Hæc vna igitur familia, sed duplicis nominis habet ius in Ecclesiis, quæ à Quona, atque à Castilionchio, itidemq;, quę à Miransu nuncupatę sunt, nonnullisq; etiam aliis in locis, vbi huius eiusdem familię vnà cum agris sita hæc oppida fuerunt. In Castilionchio verò, quòd ad solum hoc tempore excisum est, huic familiæ Zanchiniæ ius, & auctoritas est. Præterea Ioannes Zanchinius à Castilionchio in Templo Diuæ Crucis prope portam, quæ princeps est, sacellum ædificandum curauit, eo potissimum in loco, vbi Lapi, de quo loquimur, fuerat antea sepulchrum. Cuius rei nomine hoc Epitaphium (quò Lapi virtus sit testatior) ibidem legitur.

Si tibi quos patria, & virtus Lape maxima fasces
Tradidit, exilio perdidit inuidia;
At tua non odium, non mors, non tempora possunt
Perdere, quæ reparat nomina clara nepos.

Fuit omnino hic Lapus sollertia insignis, ingenio sublimis; qui, cùm multis premeretur incommodis, non lacrimis, aut desidia fractus est, sed ab animi magnitudine præsidium petendū esse duxit. Contra ærumnarum concursum suarum virtutum concursum aduocauit. Fortissimè ille, si quis vmquam alius, præliatus est; nec cessit vmquam vel iniquissimis viris, nec minitantibus malis demum victus est. Suorum ciuium iniuriis coactus solum vertit, patriaq; diu orbatus est; Sed tamen hoc exilio dignitatem suam non imminuit. Subleuatus egregiis artibus, præclarisq; rebus gestis adiutus, iniuriæ quicquid erat, patriæ condonauit, suisq; se virtutibus miro quodam modo cōsolatus est.

ALDOBRANDINVS CAVALCANTHIVS. IIII.

LONGE ab his temporibus enituit Aldobrandinus Caualcāthius, natus Florentiæ nobilissima familia. Hic natura factus ad religionem, conculcatis sui seculi voluptatibus, vt in se veram virtutem exprimeret, opus sanè arduum aggressus est. Tenui enim valetudine, domiq; suæ delicatis moribus nutritus, hilarè tamen in Religionem Diui Dominici ingressus est, diuinisq; præceptis se subiecit tam magna animi propensione, vt in vigiliis voluptatem, in labore quietem experiri videretur. Sed diligenti Deum nihil omnino durum, nihil arduum; victis enim difficultatibus, quæ aliis bellum faciunt, &, quæ proponebantur, fortiter excipiens, nauauit operam suæ Religioni studiosè, & Deo ardenti animo inseruiuit. Mirabiliter coluit in primis patientiam; fuit cordi humilitas; qua se ipsum pænè despiciens, vt à Deo iniret gratiam, magna contentione multiplici virtute se exercuit. Dedit ille operam primis ætatis tēporibus nobilibus literis tanto studio, vt sibi non parceret, & dum modo magno se fructu augeret, nullum laborem, nullam molestiam, nullum incommodum vmquam recusauit. Incubuit in philosophię studium vehementer; curauit, vt quæ in ea

optima sunt, optimè cognosceret, atq; eisdem in amplificandis virtutibus vteretur. In sacris tamen literis omnia ei sita erāt; in id ipsum laborem, studium, conatum omnem conferebat, vt non solum res præclarissimas edisceret, sed in se ipso virtutes quoque grauiter, & verè explicaret. Minimè ille ostentationis gratia, aut voluptatis hæc huiusmodi studia adamauit; Sed vt ea grauibus in negotiis adhiberet, & se ipsum ad exemplar virorum sanctissimorum conformaret. Quamobrem in familia Diui Dominici cùm euasisset multis virtutibus admirabilis, nec sibi tantum, sed aliis quoque prodesse posset, vel multum recusanti à suis gregalibus grauissimæ administrationis munera delata sunt; in quibus ita se se gessit (neque enim in viro clarissimo dormitauit vmquam virtus) vt suum mirabiliter officium impleret, atq; omnem expectationem, quæ de se maxima excitata erat, superaret. Versatus est arduis in negotiis magno ingenio, magnoq; animo; explicauit vim industriæ per egregiè suo more, & sanctè; quibus rebus, dum summa virtus omnium vocibus celebratur, excitati sunt viri graues; qui, cùm Aldobrandinum maximarum dignitatum gradibus dignum iudicarent, Gregorium Decimum, Pontificem Maximum suis vocibus impulerunt, vt eum Oruiti Episcopatu decoraret. Quæ recusatio, supreme Deus, à viro innocentissimo facta est? quā se ille suo iudicio imminuit? quàm, ne acciperet dignitatem, multis verbis, quicquid erat in se virtutis, extenuauit? Eò redacta res est, cùm ille se indignum, qui deferebat, dignum iudicaret, vt obiurgatione quodammodo, & censuris ad dignitatē accipiendam adigeretur. Præfuit igitur sacro huic muneri summa cum laude, atq; ita præfuit, vt nihil omitteret, &, quod erat sui muneris potissimum, persequeretur. Maxima ab illo rerū sacrarum ratio habita est, quam vel vitæ periculo constantissitissimè defendit, & ne vspiam imminueretur, quanta potuit vi maxima, curauit. Sacris concionibus dedit operam assiduè, vt moneret homines suæ improbitatis, vt vitia obiurgaret; bonos autem vt confirmaret, &, vt permanerent in sententia, quibus poterat rebus, inflammaret. Fructum omnem, quem ex Episcopatu capiebat, in egentes erogabat tāta cum animi propensione, vt vix sibi aliquid ad necessarium vitæ vsum reseruaret. Numquam, dum hęc ageret, vllo tempore prætermisit,

quin (vt res sese offerebat) varias virtutes exerceret, res commodas proponeret, & gregem sibi commissum sanctissimis præceptis erudiret. Tractãdis negotiis magnũ vsum quotidie asse quebatur; vt non magno tempore vir valde experiens, idemq; doctissimus omnium iudicio haberetur. Quamobrem cum Lugdunum Gregorio eundum esset, quò ipse grauissimarum rerum causa Concilium condixerat, deliberatius ei nihil fuit, quàm vt Aldobrandinum Romæ Vicarium relinqueret, qui onus Pontificis Max. tantisper sustineret, quàm diu esset absuturus. Habebat Summus Pontifex Aldobrãdini benè cognitos mores, quanti ille esset, expertus fuerat: cunctisq; in locis seditiosis hominibus ad arma excitatis, magni ingenij viris tam erumnosis tẽporibus erat opus, qui pacem Italiæ, quietem perturbatis animis afferrent. Hæc ipsa Maximi Pontificis summa animi inductio de Aldobrandino (qua quid nobilius, quid maius excogitari potest?) tantum omnino iure optimo valet, vt sit cunctis laudibus gloriosè præferenda. Certissima enim opinione statuere animo, eum, qui Pontifex non sit, Pontificis munia obire posse, tam magnum est, vt is, cuius virtus etiam periclitata est, quouis amplissimo gradu dignus esse videatur. Et profectò, quicquid sapienter in disciplinis nobilissimis didicerat, sapienter explicauit in hoc onere Pontificio; gessit enim se summa cum vigilantia, & grauiter; nec defuisset ei, vt hominum est opinio, dignitas maior, si Gregorius Romam (mortuus est enim Regij) incolumis ex Gallia rediisset. Dum curam rerum amplissimarum Romæ sustinet, magno dolore vir probus, atq; integer affectus est. Iniquissimi enim homines graues inter se inimicitias tota Italia exercebant; crudeliter certabant odiis; neq; vrbes modo, aut oppida, sed singulæ etiam familiæ factionibus Guelphorum, & Ghibellinorum diuisæ atrociter dissidebant; nec qui tot ruinis, & cędibus consuleret, aut mentes deprauatas sanaret, reperiebatur. Homines sua peruersitate incitati quin Aldobrandino facesserent negotium, non defuerunt; quibus tamen vir probus, & pius diuino præsidio adiutus restitit vehementer, & ne quid detrimenti caperet Ecclesia, summa vigilantia prouidit. Vir apprimè insignis probitate, idemque doctissimus dum vitam suam exornat sanctitate, facile (vel se insciente) posteros suæ familiæ illustrauit. Valuit enim in illo

tantum

tantum vitæ integritas, & morum munditia, vt multi eum Beati nomine nuncupauerint; quasi nihil defuerit ad summam declarandam sanctitatem, &, vt Sanctorum in numerum reciperetur, nisi Ecclesiæ, & Pontificis Max. declaratio, & auctoritas. Fuit ille, quod fatentur omnes, vir summus in philosophia, summusq; etiam theologus; vt sibi præsidio esset, philosophiã attigit; vt se penitus ad Dei Opt. Max. voluntatem conformaret, Theologiam asciuit; qua, & sibi mirabiliter profuit, & per multis maxima commoda suppeditauit. Reliquit scripta maximè vtilia, plena doctrinæ, plena pietatis. Extant adhuc conciones Latinæ super diebus Dominicis totius anni, & Sanctorũ festiuitatibus; quæ non doctrinam solum, sed mores probatissimos testantur. His lucubrationibus, qui legerunt, tantum tribuunt, vt in eius laudibus nihil reliqui sibi faciant, & res singulas in huiusmodi scriptis admirentur. Omissum nihil est, si animorum salutem intueare, quod mira sedulitate non attigerit; nihil in medium protulit, quod non iure optimo probandũ esse putes. Facile illi fuit verbis effingere, quod rebus explicauit; cuius vitam nobilissimis artibus ornatam dum inspicimus, nonne animum clarissimis conflatum virtutibus intuemur? Reliquit præterea sermones maximè vtiles de rebus pluribus, & variis; quibus profectò planum factum est, quàm multa vir eximius didicerit, quàm optimè cognouerit, quàm literis prudenter explicarit. Satis noti sunt patribus Diui Dominici; qui dũ eos legunt, & nobiles artes in se augent, & suum animum præceptis salutaribus exornant. Vtinam typis excusi aliquando in publicum exirent; quæ viris doctis occasio præberetur in doctrinis variis tradendis, quæ facultas in animis iuuenum sanctissimè excolendis? Ingenij fecunditas efficeret, vt virtus, quæ in illo fuit admirabilis testata esset magis, & clarior. Venetiis in bibliotheca Canonicorum Regularium Diui Saluatoris conser-seruantur lucubrationes Aldobrandini super Diui Ioannis Apocalypsi, atq; ita conseruantur, vt multum eius loci patres illis tribuant. Vir ingeniosus multis rationibus facultatem abditã, & obscuram ita declarat, vt, quæ in eis reperiuntur, mysteria perspicuè aperiat, & planissimè explanet. Qui iudicare de hoc opere egregio potuit, magnis extulit laudibus; qui lectioni nobilissimorum laborum dedit operam, nequit expleri animo,

quin

quin rem omni ex parte absolutam, & luculentam maximè dilaudet. Hæc quæ scripsit Aldobrandinus, cùm omnium iudicio probentur, satis sibi indicio sunt sua vetustate (etenim circa annùm 1270. scripta sunt) optima esse, & cunctis etiam laudibus efferenda. Et profectò à vitiis temporum, ne tam bonæ lucubrationes extinguerentur, virtus præstantissima eximij viri in causa fuit. Quæ minimè placent, quæ non leguntur, neque etiam describuntur, omnino breuis æui sunt; voluminum enim celebritas tunc diuturna est, nec vllo pacto extinguitur, si eis laus perpetua comitatur. Id ipsum in scriptis Aldobrandini pulcherrimè vsu venit; qui multum intelligunt, legerunt viri doctissimi, &, ne rerum optimarum splendor obsolesceret, æquabili quodam temporum tenore præstiterunt. Florentiæ mortem obiit Aldobrandinus non solum suorum gregalium, sed totius etiam ciuitatis dolore; Luxerunt propinqui, desiderarunt viri graues, & quicunq; eum nouit, dedit ei verborum, & lacrimarum testimonium. Vt tunc tempora tulerunt, sepultus est sūma cū dignitate, & magnificè in Ecclesia Diuę Mariæ; quæ quia instaurata est, Nouella postea nuncupata est; Anno 1279. Aedificationem huius pulcherrimi templi, ne rem egregiam silentio præteream, non consilio solum, atq; auctoritate, sed labore, & pecunia iuuit Aldobrandinus mirabiliter; quibus rebus vir industrius tantopere profecit (subiecit enim se oneri grauissimo sua sponte) vt, quæ necessaria erant, curarit diligenter, &, ne quid deesset ad rem persequendam, sapienter prouiderit. Nunc, quoniam multos viros hæc illustris familia tulit, eosdemq; clarissimis artibus insignes, res ipsa quærit, ne ij, qui maximè eminent, suo testimonij merito fraudentur; addemus ergo aliquid de Guido, deinde etiam de Bartholomæo tamquam auctarium; ne, si præteriti silentio essent, admirationem, & querelam hæc fuga laboris parere posset. Fuit Guidus vir omnino absolutæ virtutis admirabilis. Is tam magno ingenio fuisse dicitur, vt neminem suæ ætatis ei iure optimo pręferendum esse putes, sed cunctis eundem præstitisse planè affirmes. Eodem tempore, quo Dantes, vixit Guidus; tulit enim illa ætas vsquequaq; viros clarissimos nobilibus in literis; tamet si spoliata esset opportunitate, qua copiosè nostra ætas fruitur (libris enim typis impressis vti non potuit) quasi

tam

tam magni præsidij egestas præsidio esset, potuit tamen stimulus libros sua manu describendi acuere ingenia, inflammare animos, atque opportunè homines doctissimos efficere. Nunc di ues est nostra hæc ætas à librorum copia tam valde, vt tot voluminum lectioni (qui numerus pæne est infinitus) iam non satisfaciat. Quæ igitur nunc debet adiuuare, obest fertilitas; nimiusque prouentus, quod mirum est, vim ingenij difficultatibus inuoluit,& incommodè moratur. Magno quondam, (secus, ac nunc fit) veniit pretio liber mediocris magnitudinis; nec cuiuis facile erat bibliothecam multorum voluminum conficere. Librorum inopia fortasse locupletauit ingenia, quæ nunc summa copia debilitat. Fuisse dicitur ætas illa, de qua dicimus, valde à claris viris copiosa; in qua Dantes, Guidus Caualcanthius, Dinus Garbius, Turisianus Rustichellius, pauloq; post Boccaccius, Petrarca, Lapus à Castilionchio, ne dicam de exter nis, floruerunt. Quòd multa Guidus scripserit, non desunt, qui affirment; vt de eloquentia sui seculi, de regulis linguæ Tuscæ, de natura verborum, quibus fit oratio numeris astrictior, artificiis ornatior: Vir summus ingenij magnitudine sublimia spectans, humaniores literas contemnens totum Philosophiæ corpus complexus est. A poetis, atque ab huiusmodi scriptoribus non ille quidem abhorrens, sed, dum illis studuit, planè despiciens, totum se Philosophię tradidit excolendum; vt in cantilena, quæ ad nostram ætatem iam peruenit, hoc est, in poesi, nihil, nisi philosophiam olere videatur. Qua propensione animi tantum didicit, atq; eò incredibili diligentia progressus est, vt primę ab omnibus in philosophia deferrentur ei partes: cunctisq; qui tunc viuebant, apud nos in hoc genere præferretur. Hęc ipsa cantilena admirabili industria scripta est, omniumq; iudicio probata; vt eam tamquam ex vngue leonem viri doctissimi inspiciant; eandemq; sic admirentur, sic probent, vt nihil ea nec doctius, nec ingeniosius fieri posse arbitrentur. Hanc cantilenam, quia obscuris, abditisq; sensibus confecta est, Dinus Garbius, summus Philosophus commentatus est. Huic negotio itidem non defuit Egidius Columna, Cardinalis amplissimus; qui, dum cogitationes nobilissimi operis scrutatur, quãtus vir fuerit Guidus, multis verbis planissimè demonstrat. Interpretatus est etiam Paulus Rubeus, insignis Melitensis eques;

atque

atq; hanc eandem operam clarissimi viri memoriæ Iacobus Minius, Plinius Tomacellus, & Hieronymus Frachetta, homines doctissimi nauarunt; quo in negotio res ita acta est, vt Guidi summa gloria cum summa laude interpretantium extiterit. Postremò Celsus Cittadinius, natione Senensis, multum operæ ad Guidi nomen illustrandum contulit. Studiosè vir mirus elaborauit, vt, quibus rebus posset, quicquid est scriptorum, quod ad Guidum pertineat, vndiq; corraderet diligenter, & colligeret. Quid? nonnè Petrarca, & Boccaccius suo testimonio hunc virùm magnificè extulerunt? Boccaccius autem tanti fecit, vt eum cunctis, qui cunctis in locis philosophiæ rationes attigerunt, omnino præferendum esse putet. Valorius ita celebrat, vt eum admiretur, & ceteris sui temporis vel doctissimis viris anteponat. Vgolinus Verinus miris eum afficit laudibus, &, quanti fieri debeat, his versibus testatur;

Ipse Caualcantum Guido de stirpe vetusta
Doctrina egregius numeris digessit Hetruscis
Pindaricos versus, tenerosq; Cupidinis arcus.

Conseruari Romæ in bibliotheca Vaticana alia etiam scripta dicitur huius eiusdem Guidi; quæ, vt cetera, elegantiam eandem redolent; quæq; si in publico extarent, omnino laudem, vt creditur, viri clarissimi merito augerent. Quod in elogio Ioannis Acciaiolij diximus, nihil reperiri de scriptis Guidi præter vnam cantilenam, ab eo, quod hic posuimus, non abhorret. Perexiguum est præ multis lucubrationibus, quas scripsisse dicitur, quæ vetustate temporis interierunt; eas tamen suspirantes petimus, &, dum laudes viri præstantissimi cogitamus, ipsum nos desiderium consolatur. Præterea nostra pænè ætate fuit insignis Bartholomæus Caualcanthius; de quo nunc, quæ scribamus, hæc collegimus. Fuit igitur hic vir multis literis, eisq; elegantibus ornatus; præcipuè tamen ab omnibus mirus orator habitus est. Minimè ille in literas abditus, vt permultis vsu venit, omnes vitę suæ annos silentio traduxit. Sed, quicquid didicit, & agendis negotiis explicauit nauiter, & vt ingenij sui monimenta legi possent, literis mandauit. Complures, quas dixit, leguntur conciones, multa elegantia, atque artificio perpolitæ. Ad hunc virum, tamquam ad viuum oraculum sui temporis ætas concurrere solita erat; vt in rebus dubiis, & arduis,

arduis, quid tenendum esset, eo disceptante, liquidò cognosceret. Magna erat de viro clarissimo opinio apud omnes, nec minor erat doctrina, qua tam magna auctoritas conflata est. Leguntur nonnullæ lucubrationes poeticę super tragædia quadam, magno profectò ingenio confectæ, quæ Bartholomęo doctorum hominum consensu tribuuntur; quas tamen, quia pro certo non afferitur, neque ego hic pro certo ponere ausim; cuiuslibet tamen fuerint, optimas esse scimus, doctorumq; virorum iudicio probatas. Huius summi viri præterea epistolæ nõnullæ extant scriptæ magno artificio grauibus potissimùm de rebus; præ ceteris duæ magis celebrantur, quibus affatur Franciscum Gallorum Regem, & ne Turcarum amicitiam expetat, verissimis rationibus dehortatur. Vir mirus, dum Regi persuadet, nihil ei minus conuenire, quàm vt se contra Carolũ Quinctum cum barbaris fœdere coniungat, quantum Christianæ pietatis præ se fert, quantum religionis? Etenim ab eo res ita agitur, vt mirabiliter habeat conditionis Regiæ rationem; ita rerum grauitas expéditur, vt Ecclesiæ sanctitate nihil ei sit antiquius. Et profectò quò quisq; est ingeniosior, & magis sapit; eò vim diuinæ legis imbibit magis, magisq́; etiã obseruat. Tractatus de metandis castris, quibus Romani duces vtebantur, admirabilis est, doctorumq; iudicio probatur. Homines militares magnum idcirco huic viro debent beneficium, atque eius industriæ multum tribuunt. Liber verò, qui omnium manibus iam teritur, quo præcepta eloquentiæ complexus est, nonne ostendit, quàm multa didicerit, & quàm valde cunctis in hoc præsertim dicendi artificio præstiterit? Hoc nomine de illo crebrò dictum est; Rhetor rhetorum Tusciæ. Tantum industriæ hic labor præ se fert, tantum ingenij, vt scripsisse eodem modo, quo orauit, appareat: Rem vnam omnium præclarissimam aggressus & mirabiliter persecutus est, & sapienter conclusit. His enim scriptis, & lingua nostra Tusca locupletata est, atque ipsa dicendi ars omnium commodis exposita, dum ab omnium ingenijs gustatur, benè mereri de genere humano singulis horis non desistit. Insigniter laudat Franciscus Sansouinus hoc Rhetoricorum opus, quod Barhaolomęus septem voluminibus doctrina admirabili confecit; facultatis enim (si benè rem perpendimus) totius Rhetoricæ instar est. Res nulla in dicendi arte

experitur tam obscura, quam summus hic orator non declaret, nulla tam difficilis, quam non explanet, nulla tam ardua, quā pænè oculis claram non subiiciat. In hoc Rhetoricæ artis labore omnes nostræ ætatis, qui hanc facultatem attigerunt, omnium concessu Caualcanthius superauit.

BEATVS PHILIPPVS NERIVS. V.

ADEST prætcrea Philippus Nerius, vir planè ad pietatem factus mirabiliter, & sanctissimis moribus illustris. Hic optimis parentibus natus Florentiæ, dum facilitatem, & comitatem præ se fert, dum se salua probitate ad mores omnium accōmodat, dum se optimis disciplinis erudiens doctrinam omnibus, & veræ vitæ fructum liberaliter impertit, facilè perfecit, vt vnus è multis non sine admiratione omnium tamen crederetur. Nemo enim fuit, dum suppeditantem omnibus quicquid poterat, studio, opera, ingenio intueretur, quin maioris eum arcani operis vim moliri intus animo existimaret. Quod alij temporis scribendis lucubrationibus consumunt, rectissimis ille in se ipso vitæ suæ rationibus explicauit; & vt de Socrate memorię proditum est, qui literam nullam scripsit, sed vt de se scriberetur ab aliis, vitæ modestia, atque optimis moribus facile præstitit; ita vir hic sanctissimus, & si, vt scriberet aliquid, neglexit, vitę tamen sanctitate tantopere profecit, vt dū vixit, genus humanum salutaribus beneficiis affecerit, & Pater patrum Oratorij Romani à se conditi dictus sit. Dedit tamen operam, sua permittente probitate, nobilibus literis; fuit cordi philosophiæ studium, ea ratione tamen, vt illa diuinū opus intueretur, & Dei sapientiam agnosceret. In doctrinis sacris, quibus se dediderat, cunctasq; suorum sensuum cogitationes dicarat, Diuum Thomam Aquinatem constantissimè secutus est. Legit ille libros multos, eosq; claris artibus salutares; quibus & se grauiter ornauit, & cùm ad eos se conformaret, animum suum communiuit. Colebatur ab eo Diuus Thomas præcipuo quodam modo præter ceteros; in eius doctrina vtiliter proficere, & conquiescere salutariter solebat. Qui vnà cum eo erant, iisdemq; studiis tenebantur, admirabantur ingenij acumen, facilitatem vitæ, morum sanctissimorum præstantiam. Nullum

dictum

dictum auditum turpe, aut liberius prolatum; nulla leuitas in eo, aut inconstantia nominata est; quæ res florentibus in annis dominantur. Ita enim mentis munditia omnes vias præsepserat, quibus ad deprauandos animos aditus præbetur, vt virtus omnia posset, cunctisq; suis in moribus dominaretur. Quærunt nonnulli, vt viris doctissimis mos est, reliquerit ne posteris scriptorum aliquid, quo nomē summi viri in literis retineat; quasi exiguum sit (quod omnium maximum est) sui ipsius exēplar reliquisse, plenum doctrinæ, & probitatis, nobilibusq; artibus cumulatum. Ipse verò quod facultatem multis præbuerit de se scribendi, meritò lucet inter omnes, sibiq; laudis plus tribui sentit, quàm si libros sua manu pęnè innumerabiles scripsisset. Quid Annalium Ecclesiasticorum scriptio, quos Cæsar Cardinalis Baronius scripsit, nonne auctoritati Philippi Nerij tribuitur? Etenim nisi Baronium Philippus excitasset, nisi grauiter esset adhortatus, hodie rem omnium vtilissimum Ecclęsia non haberet. Et profectò post homines natos res nulla vmquam scripta est nec singularis magis, nec vtilior. Qui aliquid intelligunt, legendo sese augent; multis rebus cognoscendis in docti se se ornant; viri docti facultate admirabili se explent, suumq; animum cœlestibus cogitationibus locupletant. Huius operis præclarissimi auctor, & adhortator Philippus Nerius nominatur. In rebus Romanis, quæ maximè perhibentur, maximè nunc Philippi visendum est sepulchrum; preciosis lapidibus virum sanctissimum Nereus Nerius, nobiliq; artificio decorauit. Hic enim vir Florentiæ patricię gentis (atque id iure quidem optimo) laudi sibi tributum iri arbitratus est, si non modò eiusdem gentis nomen, verùm etiam, quod executus est, Philippi stemma suam in familiam ascisceret. Nullius doctrinæ, quæ grauis esset, & insignis fuisse expertem testatur vnusquisque, cui contigit, vt cum eo de doctrinis egregiis differeret; quod autem sanctissimus esset, satis ipse circumfluens gloria testatur. Ita enim iam Roma vitam, & mores constanti animo dilaudat, vt diuinis eum laudibus afficiat; Florentia verò, vnde est ortus, dum alumnum insignem tantopere agnoscit, mirabiliter commendat, magnaq; hoc nomine lætitia exultat.

ACCVRSIVS LEGVM INTERPRES. VI.

PRODIT sese deinde Accursius legum interpres admirando ingenio, & sublimi; hic, vt vno omnium ore dicitur, singulari industria, incredibili patientia, dum Corpus ciuile sedulò euoluit, latebras omnes iuris obscurioris sẽsus illustrauit. Res nulla tam fuit abdita, tam occulta (vt pateret vsus cunctis gentibus) quam summo ingenio non declarauerit. Hic modicis parentibus ortus, sed Florentinis, diu suo in fundo, vbi natus est, commoratus est. Abest ab vrbe Florentia locus quinque millibus passuum, cui Balneolo nomen est, è regione Montis boni; quem incolæ Accursij domicilium vocare soliti sunt. Hic admirandis illis lucubrationibus omnes omnium ciuilium legum sensus scrutatus est; cuius operam ita terrarum orbis probauit semper, vt eius auctoritatem ceterorum iurisperitorum sententiis prætulerit. Nemo nunc pro suo eum sibi vendicet, quem Florentia suum esse dicit iure optimo, suumq; certissimis rationibus agnoscit. Multum profuit explicandis legibus Irnerius quidem, multum Ioannis Bosiani opera cum Azonis industria; sed vigilantia Accursij iurisperitorum omnium curas superauit. Inter ætatem Accursij, & Iustiniani tempora anni septingenti, aut amplius interfuere. Cùm multa cura hic Imperator studuisset, vt haberent, qui ius dicerent, quod exploratè profiteri possent, adhibitis prudentissimis viris, & consultissimis, quod esset superuacaneum in legibus, sapienter remouit; quam rem noster Dantes in persona Iustiniani egregiè expressit.

Dentro alle Leggi trassi il troppo, e'l vano.

Sed, Gotthis, & Longobardis res cunctas in Italia obtinentibus, obsoleuit paulatim vis Legum eo pacto, vt nulla earum amplius esset auctoritas. Lotharij tamen opera, qui post Iustinianum regnauit, factum est, vt respiraret Imperij Romani dignitas, & legum vis paulatim reuiuisceret. Post hæc igitur tẽpora incidit Accursius; qui (cùm verus sensus iuris, & legum, furente barbarie, iactaretur, nec sedem, in qua consisteret, haberet) viribus suis fretus ita totum hoc opus complexus est, vt, cùm sibi non parceret, absoluerit tandem, & concluserit. Nulla

eum leuitas remorata est, nulla interpellauit libido, quò minùs suo studio intentus rem tantam conficeret, & expectationi hominum, quæ de illo admirabilis excitata erat, cumulatè respõderet. Obstupuit illorum temporum ætas, simulatq; tam egregium opus, tam salutare promulgatum est; & quò considerari magis potuit, eò, cur admiraretur, magis causam habuit. Verus ille sensus in legibus abditus iacuisset miserandum in modum in tenebris, nisi hic vir admirabilis opportunè excitasset; &, vt pateret omnibus, magno ingenio præstitisset. Quid enim ille molitur aliud, quid conficit, nisi vt præclara legum facultas, quæ vix admodum paucis cognita erat, in promptu esset omnibus, omniumq; vtilitatibus commodè inseruiret? Hic profectò

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

Cogitat; atque ita cogitat, vt tenebris eiectis, quæ sit legum sententia, planissimè declaret. Quoties inter eos ambigitur, qui hanc iuris facultatem profitentur, toties tamquam ad arcem, quæ tutatur omnes, vnusquisque ad auctoritatem Accursij se se confert. Hic mille oculis mentis præditus, quocumque in iuris Corpore te conuertis, scrutatur omnia, omnia perpendit, omnia considerat; & quò ceteri non aspirant, eò tamen vis admirandi ingenij facillimè peruenit. Consilio suo, quo multum valuit, non satis fuit, vt commentaretur ingeniosè, sed vt glossas etiam sapienter conficeret; quibus abditos sensus aperiret, & legum sententiam, quæ obscurior esset, explicaret. Qui sunt bonos auctores interpretati, non mediocri cum laude nominantur; Laudatur Commentator Auerroes, qui Aristotelis sensum subtiliter adeptus, eos, qui hunc philosophum sequuntur, magnis vtilitatibus affecit; Laudatur Donatus, qui in Terentium commentationes egregias conscripsit; celebratur Seruius, qui in Vergilium commenta composuit. Omnes hi viri doctissimi non glossas, sed commenta confecisse dicuntur, eo nomine, vt opinor, quia qui commentis auctores interpretantur, sensum tantum modo eorum vestigant; quem cùm repererint, satis officio suo factum arbitantur, atque eo contenti nec progrediuntur vlterius, nec aliud prætcrea requirunt; is verò qui sibi sumit, vt in iure glossas conficiat, non satis habet vt sensum vnum scrutetur tantum modo, sed, si quis sensus aliis in

legi-

legibus reperitur, qui spectet eodem, qui eadem in re sit dissimilis, aut contrarius, vt vis iuris sibi constet, curiosè, & sapiēter disceptat. Considerat Accursius incredili studio, aut patiētia potius non sine magno tamen ingenio, qui sit singulis in legibus sensus; consentiat ne aliis cum legibus, an abhorreat, subtiliter expendit; num lex legem abroget, aut eidem deroget, aut obroget, diligenter inquirit. Qui labor profectò, si rem metiri ratione volumus, tam magnus fuit, dum has glossas, id est interpretationes secretioris sententiæ cônficit, vt vix cum eo comparare aliquid audeam, sed præferendum cunctis ingeniis, & cuiusuis lucubrationibus existimem. Nequaquam, vt opinor, Homerus, aut Vergilius glossas admitterent, qui vnū tantum sensum, quo constant, intuentes, vt intelligantur, laborem illum infinitum non requirunt. Legum facultas, quæ diuersis auctoribus, variisq; sententiis, & temporibus conglutinata est, glossas requirit, &, vt omnibus pateat, lucubrationes huiusmodi efflagitat. Post hunc virum, qui glossas similes conficeret, inuentus est nemo; omnes enim siue operis difficultate territi, siue, quod rem perfectam, & nihil amplius addi posse putarint, hoc labore pænè infinito implicari nolunt. Contulit se Accursius, vt id ipsum de eo, quod institutum est, aliquando concludam, ad iuris studium, & legum, cùm annorum esset septem & viginti; quam rem profectò, si opus immensi laboris intuemur, nimis serò aggressus est. Quamobrem non sine causa dictum ei est ab eisdem, qui rem eandem petebant, tardè venisti; quibus ille subitò respondit; citò me expediam. Non desunt tamen, qui id negent, & rem summi laboris suo tempore aggressum esse planè affirment.

TVRRISIANVS RVSTICHELLIVS. VII.

PERMVLTIS comitatus meritis adest deinde Turrisianus Rustichellius; qui simplicibus moribus ornatus ita ingenij acumine se se extulit, vt iure optimò in numerum summorum hominum à viris doctissimis relatus sit. Natus est hic Florentiæ honestis parentibus eo in loco, qui Diui Proculi Vinea dictus est, ex gente Rustichellia; quæ deinde in duplicem familiā, Valoriam, & Turrisianam diuisa est. Hic cùm multis literis se com-

communisset, quò vires ingenij explicare posset commodius, alias regiones ſibi petendas eſſe iudicauit, cum hic Florentiæ, vt id efficeret, pertenuis facultas videretur. Contulit igitur primùm ſe ſe Bononiam; vbi multa didicit in phiſicis; deinde Lutetiam profectus doctorum hominum more ſcholas habere cœpit, & docendo de lòco ſuperióre nobiliſsimas artes profiterì. Ardebat veræ laudis deſiderio; &, dum cupiditas magno ingenió diſcendi faces ſuppeditàret, dictu mirum eſt, quàm res multas collegerit, quàm arduas explicarit, quàm abditas declararit. Tanti viri cognitis viribus ingenij magnus ad eum concurſus factus eſt; & cùm ſui in dies maior facta eſſet expectatio, nec ſibi nobiliſsimis lucubrationibus deeſſet, quippe qui mente ſublimi moliretur ſemper aliquid, cœpit Galeni opus, quod parua ars nuncupatur, illuſtri commento interpretari. Perutilem facultatem, & maximè neceſſariam ita tractauit Turriſianus, vt res obſcuras abſterſis difficultatibus aperiret, & de ſuo multum addens rem propoſitam locupletaret. Vir mirus, cùm vires ſuas ſubtiliter expēderet, non ſatis habuit, vt auctoris ſenſum fideliter explicaret, niſi diuite ex vena multa proferret, ſuoq; ex ingenio expromeret, quæ valde opportunè ſubiectam in materiam cadere poſſent. Quamobrem ſi hæc, quæ Turriſianus addidit, in Galeni opere defuerunt, laudanda ſollertia; ſin abfuerunt, & quaſi ornandi cauſa dicta ſunt, nimirum celebranda voluntas, quæ tam luculentis ſcriptis nobiliſsimum auctorē illuſtrauit. Cunctis enim rebus perſpectis factum eſt, vt hæc ſummi viri interpretatio omnium voce plus, quàm commentū diceretur. Præterea quæ medicorum artem multum iuuant, multa compoſuit; in facultatem medendi ſuo ex ingenio multa contulit. Ad extremum ſenio confectus, cùm ſua ſponte ad religionem factus eſſet, ad Carthuſianos ſodales ſe ſe contulit, eorumq; in numerum adſcribi voluit. Vir bonus in hac ſocietate ſanctiſsimè vixit; &, ne abuteretur otio, quod dabatur, ſtuduit præcipuè, vt ſuum animum ſacris literis excoleret. Cùm eum ſingulis diebus vires iam deficerent, & dies mortis aduentare videretur, ne ſe iniquitatis nimio ſilentio damnaret, duos ex ſuo ordine ſodales, qui Florentini erant, ad ſe accerſit. Hos vehementer obſecrat, vt ſuum hoc opus, quod multis laboribus confecerat, ſedulò accipiant, & primo quoque tempore ſuo

nomine

nomine Bononiam deferant, vt, ne periret, publico in gymnasio promulgetur. Ob id ipsum literæ Dino Garbio scriptæ erãt, quibus rogabatur, vt pro vetere amicitia, & pro communis patriæ caritate rem susciperet, & studiosis optimarum artium impertiret. Volumen Dinus egregium euoluens, simul atq; per publicas occupationes licuit (res enim easdem, quas Turrisianus Lutetiæ professus fuerat, Bononiæ docebat publicè) primò obstupuit, deinde dum cogitat, quanto sibi emolumento labor ille futurus esset, statuit lucubrationes viri clarissimi pro suis venditare. Rogat igitur homines enixè, qui librum attulerãt, ne rem cuiquam enarrent, sibiq; beneficij loco dent, ne tum opus illud diuulgetur. Illi aut animi simplicitate moti, aut inscitia impulsi, quod rogantur, concedunt, &, vt faciat, quod sibi sit ex vsu, hominem relinquunt. Non procrastinat ille, quin miros labores viri acutissimi venditet pro suis, & ad se audiendum plurimos inuitet. Fit hominum intelligentium, & doctorum breui tempore magnus concursus, gymnasium complectur; &, quò rem tenebat magis vnusquisque, eò magis admirabilis doctrinæ vim efferre laudibus non desistit. Res insolita, quæ primò sagaci viro laudi fuerat, suspecta esse cœpit; Qui singulis diebus eum audire consueuerant, mirari vehementer, vnde tam subitò doctrina tam insignis orta esset; qui verò æmulandi causa res easdem profitebantur, relicti à discipulis, cùm suum gymnasium vacuum inspicerent, vix præ dolore ferunt ignominiam; scrutari idcirco omnia statuunt, vt causam nouæ doctrinæ, atq; admirabilis reperiant. Adolescentem igitur subornant, qui domi, vbi Dinus habitabat, familiariter versari solitus erat; monent, vt hominem obseruet, quid agat, quos libros euoluat, dum scholas, quas publicè docturus erat, tacitè colligit. Ne quid emanaret, tectè ille, & arcanè rem agebat. Adolescens verò dùm sedulò attendit, animaduertit Dinum magnum quoddam chartarum volumen cura intentissima euoluere, & aduentante hora, quà publicum ad gymnasium eundum esset, in scrinium recondere, & claui denique occludere. Aemuli re ipsa hac ratione patefacta, clamore magno faciunt impetum in Dinum; cogunt, vt opus, quod alienum esse putabatur, subitò depromat, & publicis vtilitatibus exponat. Dinus cùm vim paratam esse cerneret, furori iusta flagitantium concessit

& li-

& librum dat in manus doctorum hominum, vt Turrisianus multò antę mandauerat. Hic multis expositus, & in multa exẽplaria dilatatus famam auxit viri clarissimi; & nunc quoq; quã magno ingenio præditus esset, maximè testatur. Non ille solùm commentatur doctissimè, sed de suo permulta addens, facilè perfecit, vt hic suus liber gloriosè plus, quàm commentum vocaretur. Hæc ex libro Valorij decerpta sunt; nos nihil addẽtes, sed quicquid ille tradidit, ex eo huc contulimus. Vixit Turrisianus eodem tempore, quo Dantes poeta floruit, magnæ insignis doctrinæ opinione. Anno M. CC. LXXX. Multis aliis operibus, eisq; præclaris cùm in phisicis, tum etiam sacris in rebus, magno sibi parto honore, nomenq; Carthusiani Monachi adeptus, Florentiam, patriam nostram, in qua natus est, etiam nunc maximè illustrat.

MARSILIVS FICINIVS. VIII.

MARSILIVS Ficinius natus est Florentię non obscuris parentibus anno M.cccc. xxxiij. xiiij. Calend. Nouemb. Hic procurante patre, qui medicam artem profitebatur, linguã latinam primò edoctus, deinde Græcam facilè adeptus eo pacto se nobilibus literis ornauit, vt magnitudine ingenij adiutus non se ipsum tantum, sed hanc nostram patriam illustrarit. Rhetoricæ, Dialecticæ, Philosophię Peripateticorum more dedit operam non sine magna laude; qui vix tertium, & vigesimũ attingens annũ, res controuersas, atq; arduas, quæ propositę illi fuerãt, explicare, adiuuante nemine, ausus est, & libros quattuor de Platonis dogmatibus conficere. Gliscente in dies cupiditate laudis, crescebat vis ingenij; datusq; Cosmi Medicis in clientelam, ab eodemq; in rei familiaris difficultatibus sublevatus, dictu mirum est, quàm multùm in doctrina Platonica profecerit, & quàm admirabilis euaserit. Hortantibus igitur, & prouehentibus Othone Niccolinio, & Benedicto Accolto, iuris peritis clarissimis, è Græco libros Platonis de legibus in Latinã linguam conuertit, tam scitè, & doctè, cùm annum ageret quartum, & vigesimum, vt quantus vir paulò post futurus esset, facilè ostenderit. Cùm esset tenui valetudine, fidebat parùm suis viribus; &, ne succumberet grauioribus laboribus, cauebat. Duas omnino horas, dum suis studiis operam daret (ne sibi

nimia animi contentio obesset) non excessit. Sed paulò post, dum se reficeret, repetens opus animo maiore rem ipsam persequi solebat. Platonis multa opera, quæ conuertit, interpretatus etiam est. Si quis inciderit locus obscurior, minimè ille fugi laboris rem deserit, sed obnixè, vt lucem afferat, in rem se se insinuat, atque obscuritatem, quoad eius fieri potest, penitus propulsat. Qui Platoni multum tribuunt, vtilitates magnas Marsilio referunt acceptas; eius enim opera factum est, multumq; continentibus laboribus, vt summus ille philosophus cognitus magna commoda mortalibus afferret. Neque verò Platonis doctrinam tantum est professus, sed magnam partem sui temporis sacris literis impertiit. Liber, qui de vita cœlitus comparanda inscriptus est, vehementer ab omnibus laudatur, qui Matthiæ Coruino, Pannoniæ Regi dicatus est. Magno est in precio commentum, quod in Diuum Dionysium Areopagitam mira diligentia composuit. Quid dicam de volumine, quo Christianam Religionem dilaudat? quid de lucubrationibus in Epistolam Diui Pauli ad Romanos? Perpendat, vt libet, qui vis totius vitæ viri clarissimi mores; scrutetur omnes animi sensus; excutiat mentis latebras, atque recessus; profectò nihil inueniet, nisi quod summa cum virtute sit excultum, & magna cũ sanctitate sit coniunctum. Liberalitatem Mediceæ familiæ in se expertus est, dum studio literarum incensus tam multas res, tam varias persequitur. Cosmo igitur, Petro, & Laurentio carus fuit; atque ab iis adiutus eosdem permultis sui ingenij monimentis illustrauit. Coluit præterea Philippum, Bartholomæum, Nicolaum Valorios; eorum domus doctissimo viro ita patuit, vt sui temporis apud eos magnam partem commorari solitus sit, & suas lucubrationes honesto in otio conficere. Scripsit presso stylo, satisq; eleganti, multumq; ad id, de quo dicitur, accommodato; nam & grauitatem quandam sapit, & dulci quodam modo influit in animum, & sententiam, quæ proponitur, planissimè enarrat. Multa prætereo, quæ ab ipso summo artificio elucubrata ingenij magnitudinem ostendunt; &, quàm multùm optimis ex artibus didicerit, veterumq; gloriã sit æmulatus, omnesq; sui temporis homines anteierit, facilè significant. Permagnis mentis viribus nequaquam exiguæ corporis vires respondebant; artificio quodam igitur tenui valetu-

dini

dini consulere solitus est, ne se spectantem semper alta vis morbi importuna interpellaret. Cùm sua causa nullum esset ei otiũ otiosum, atque omni tempore distineretur magnis curis, multi, vt eum viderent, & viserent, veniebant Florentiam; alij, vt de rebus obscuris interrogare, alij, vt lectis lucubrationibus, quas attulerant, suo commodo, quid sentiret, exquirere possent. Magnus ad eum tota ex Italia, Germania, Gallia fiebat concursus; magnum nomen viri doctissimi celebratur cun ctis in locis; vt, cùm magnus summorum virorum tunc numerus esset, vnius tamen Ficini virtus omnium vocibus emineret. Mortuus est, cùm annum ageret sextum, & sexagesimum, multis cùm lacrimis non ciuitatis nostræ solum, sed mœrore etiam hominum doctorum, qui in eo admirari virtutem, & colere cõsueuerant. Multò ante, viris illustribus prouehentibus, in numerum Canonicorum principis ædis fuerat cooptatus; eoq; nomine honestis exequiis funeratus est, & in sepulchro eorumdem Canonicorum sepultus. Eidem statua marmorea eodem in tẽplo (qui honor non nisi summis viris pro magnis meritis tribuitur) virtutis ergò statuta est, è regione eius tabulæ, vbi Dantis poetæ effigies conspicitur, cum hoc epitaphio.

En hospes; hic est Marsilius Sophiæ pater;
Platonicum qui dogma culpa temporum
Situ obrutum illustrans, & Atticum decus
Seruans latio, dedit flores primus sacros,
Diuinæ aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus ante Cosmi munere;
Lauriq; Medicis nunc reuixit publico.

DONATVS ACCIAIOLIVS. IX.

DONATVS præterea Acciaiolius fuit vir tantæ virtutis, vt ei sequens deinde ætas, aut potius posteritas omnis multum debeat. Natus est hic anno M. cccc. xxxviiij. nobilibus parentibus Florentiæ. Magno studio, cùm magno ingenio præditus esset, primo institutus est. Iacobum initio ætatis Ammannatum Lucensem præceptorem nactus (qui paulo post à Pio II. in Cardinalium collegium cooptatus est) operam dedit humanioribus literis diu, magnoq; cum fructu. Hic, qui

vir futurus esset, in reliquum omne tempus, in hac puerili ætate planè ostendit. Magno enim ingenio ad res maiores inuitante scientiam linguæ Grecæ cum Latina ita coniunxit, vt ex eis multos lucraretur progressus, & se in dies optimis disciplinis augeret. Cùm se corroborasset multa cum laude, oblata est occasio, qua suæ virtutis faceret periculum, &, quantum profecisset, in eloquentia præsertim appareret. Nuntio enim allato de morte Francisci Vaiodæ, qui, dum bellum gerit in Pannonia contra Turcas, morte in prælio occubuit; laudauit eum Donatus latinis verbis luculenta oratione in principe æde, magnamq; laudem omnium iudicio adeptus est. Cùm permultis meritis in Christianam Rempub. viri fortissimi virtus celebris esset, cunctisq; in locis celebraretur; non defuit ciuitas nostra, quin pietatis exemplum libenti animo sequeretur, publicisq; exequiis honestaret. Explicandis laudibus viri clarissimi magnam laudem sibi peperit; & , vt sui deinceps vigilantia, & labore similis esset, res ipsa facilè admonuit. Hoc edito opere, quasi se cunctis obstrinxisset, vt res consimiles posthac suo ex ingenio expromeret, philosophię studium ardenti animo complexus, nobiles inde fructus satis opportunè ad suum commodum decerpsit. Cœperat esse suo tempore Aristotelis doctrina magno in precio; crescebat in dies fama disciplinæ summi viri; vt, qui rectè, atque ordine percipiendis optimis artibus dare operam vellet, hunc ipsum sequeretur, & edisceret. Studuit igitur Donatus, vt doctrinæ clarissimi philosophi quàm plurimum colligeret, & quantum ei à publicis negotiis daretur otij, tantum, quo se egregiè ad eius exemplar exerceret, laboris, & ingenij impenderet. Vt explicem, quid verbis opus est, fallacibus Sophistarum proiectis rationibus, quàm se ad res arduas tractandas multa virtute munierit, quàm mirus, atque eximius in disciplinis Peripateticis euaserit? Id ipsum indicat volumen, quod suo nomine Ioanni Oricellario dicatum est de natura virtutis, & vitij; quæ sit virtutis difficultas, quæ vitij procliuitas, testis est itidem liber eidem Oricellario inscriptus, rei familiaris cura; in quo multa cum doctrina dum rationem diuitiarum persequitur doctissimè, quo pacto comparari possint, facilè ostendit. Grande opus est præterea, atque admirādum, quo Ethicorum opus eximio commento interpretatus

est.

est. His lucubrationibus profectò patefactum est, quàm ingeniosè nobilissimis in disciplinis versaretur, quàm industriè rerum præclarissimarum volumina euolueret. Nihil enim in his libris tam arduum reperitur, quod non explanarit; nihil tam obscurum, quod subtiliter non explicarit; nihil tam laboriosũ, quod admirabili patientia non vicerit. Si quæ antea sententię summo in hoc philosopho latebant, si obscura verba doctorum hominum mentes sollicitare solebant, illustrauit vir doctissimus opportunè, & tenebras omnes admiraudo illo ex opere detersit. Nemo est, dummodo literarum aliquid attigerit, cui hoc opus nobilissimum cognitum non sit, qui accuratè non euoluerit, qui fructus vberes sui commodi causa non decerpserit; vt, cùm sit omnibus tam enucleatum, & expositum Donati ciuis nostri opera potissimùm, quis est, qui dubitet affirmare, quòd ipse de cunctis gentibus non benè meritus sit, & quòd illius orbis terrarum magnum beneficium non agnoscat? Eiusdem pænè commodi, & decoris est labor, quo Aristotelis Politicorum libros interpretatus est. Multum ille laudis ex hoc opęre sibi peperit, multum doctis viris gratum fecit; qui, dum obscuros sensus philosophi clarissimi demonstrat, non longis itineribus, sed compendio totius operis sententias enucleat. Si occupationes rerum ciuilium consideres, quas ille Reipub. nomine obiuit, nihil eum aliud agere potuisse planè affirmes; sin lucubrationes spectes admirabilis doctrinæ, nihil eum aliud tota vita egisse fateare. De rebus, quas mandato suæ ciuitatis egit, nihil hic ponam; tantum dicam, cùm esset tenui valetudine, suæ Reipub. iussu Mediolanum est profectus, vt publica negotia publicis cum hominibus tractaret; vbi grauibus curis, multisq; vigiliis oneratus, cùm sibi in laboribus non parceret, mortuus est, cùm annum quinquagesimum attingeret. Vir profectò longiore vita dignus, si rebus grauissimis obeundis facere modum voluisset, & suam cupiditatem, quæ nimis ad laudem propensa esset, imminuere voluisset. Grauis iactura eius obitu nobilissimis in artibus facta est; Veris ideo lacrimis illum sua ætas luxit; patria verò deportandum corpus Florentiam iussit, vt sumptu publico magnificentissimo funere efferretur. Conditum est enim in sepulchro suorum maiorum Chartusiano in templo, quod extra ciuitatem ædificatum,

& à sua familia locupletatum quotidie quanta fuerit eius gentis pietas monimentis publicis testatur. Laudauit eum pro côcione Christophorus Landinius; nactusq; dicendi miram facultatem & rei propositæ copiosè, & suo officio cumulatè satisfecit. Reliquit lucubrationes in quattuor libros Phisicorum Aristotelis multum à doctis viris expetitas; atque itidem commẽtum in tres libros eiusdem philosophi de Anima; quæ quidem opera cùm in publicum prodierint (neque enim adhuc typis impressa sunt) & laudem summi viri augebunt, & beneficio non mediocri studiosos optimarum artium afficient. Conuertit è latina in hanc linguam Tuscam historiam Leonardi Arretini. E Græca lingua duas Plutarchi vitas, vnam Alcibiadis, Scipionis alteram latinas fecit. Multa prætereo, idque consultò; ne meus hic labor, qui, ne sit longior, maximè curat, fines breuitatis temerè transiliat.

PETRVS VICTORIVS. X.

PETRVS Victorius nostris finitimus temporibus mira doctrina ætatis nostræ annos illustrauit. Natus enim Florentiæ nobili genere; eis disciplinis parentum diligentia traditus est, quibus & progressus extulit eximios, & patriæ suæ non mediocrem laudem comparauit. Eius animo, qui fuit integerrimus, nullaq; suspicione vitij afflatus, quicquid optimis ex artibus oblatum est, facile adhæsit. Didicit ille tam multa, vt puer vires ætatis anteiret, & docentium curam superaret. Ex Græcis auctoribus cùm esset ei cordi Aristoteles potissimum, ex Latinis Cicero; fecit ille suarum cogitationum summam, vt eos ipsos diligenter euolueret, quoad eius fieri posset, & edisceret. Huic cupiditati res vna obstabat vehemẽter; Aetas citerior codicibus tam corruptis vsa erat, vt vix, qui tollerabilis esset, sensus elici posset. Quamobrem vt sibi, & populo inseruiret, immo vt genus humanum salutari beneficio afficeret, rẽ ipsam cupidissimè suscepit, &, vt à mendis expurgaret, ardẽti studio aggressus est. Qua patientia vsus sit tam continenti in labore, neque hic ponam; neque si ponerem, satis, vt gesta res est, pro dignitate assequi possem. Perfecit ille multa vigilantia, suoq; Marte, vt veram lectionem duorum clarissimorum

auctorum consensus doctorum hominum sequeretur, & rerum vsu cupidissimè comprobaret. Durat nunc hæc cura tam singularis, tam egregia, quam publicis in gymnasijs concursus doctissimorum hominum admiratur; terrarumque orbis, vt bene factorem suum, hunc virum clarissimum agnoscit. Hominum qui disciplinis nobilissimis dant operam, locus nullus est, cui hæc res ipsa non sit cordi, qui animo non complectatur, & requirat. Hoc nomine non mediocri diligentia vsus est, vt Latinos libros, qui de agricultura sunt inscripti, expoliret; cui rei studuit animo tam propenso, vt ostenderetur, quæ cuiusuis plãtæ esset vis, quæ cura adhibenda, vt vnà cum doctrina rerum vsum vtiliter afferret, atque agrum excolentibus, quod obseruarat, pro præcepto proponeret. Hinc multiplex cogitatio eleganti homine digna, hinc liber de olearum insitione ortus est. Delectat hic labor, qui cùm suaui doctrina iunctus est, tũ eam vtilitatem præcipuè suppeditat, quam qui cultui agrorum dat operam, magno suo commodo experitur. Dederat iam Victorius multa ingenij sui documenta, cùm factum est, vt ex magna rerum perturbatione nostra Respub. Cosmi Medicis sapientia tranquilla pace frueretur. Facta est igitur mentio de literarum studiis; quibus vt consuleretur, & ratio iam temporũ hortari, & hominum voluntas postulare videbatur. Cùm res multæ multis de rebus statuerentur, quæsitum est à viris grauibus, vt vir doctus reperiretur, qui Florentiæ Grecos auctores atq; itidem Latinos interpretaretur, & iuuentutem ad optimas artes perdiscendas institueret. Omnium, quibus mandatum erat, vnus consensus erat, vt Victorius rem susciperet; atque hæc vna vox eò probabatur magis, cùm publicum commodum ageretur, quod ab ipso Duce Cosmo mitti videbatur. Necessariorum igitur consilio, & clarissimorum virorum hortatu hoc nobilissimum delatum onus non inuitus suscepit. In quo, cùm stipendio honorificentissimo afficeretur, ad extremam vsq; senectutem ita se se gessit, vt viris doctissimis satisfaceret, & de artibus egregiis benè mereri non desisteret. Satis tamen constat, Franciscum Campanam, qui Cosmi Ducis scriptorum à secretis princeps erat, numquam, dum vixit, quoties Victorius publicè doceret, defuisse, quin eum audiret, atque assiduitatem viro doctissimo præberet. Supra millesimum agebatur annus D.xxxxix.

D. xxxxix. cùm Ioannes Maria Cardinalis à Monte S. Seuini re nuntiatus est Pontifex Max. qui Iulius III. postea nuncupatus est. Ad hunc ipsum nobilium virorum ab Duce Cosmo legatio decreta est; in qua vt coram Pontifice oraret, summamq; ei ob dignitatem gratularetur, vt mos est, Victorius potissimùm de lectus est. Inter multas, quas habuit conciones, extat hæc oratio, luculenta, & insignis; gratusq; Pontifici ob id ipsum, Pontificiæq; cohorti plenus decoris, & laudis paulopost Florentiā reuertitur. Longior profectò, quàm vellem, erit hic labor, si lucubrationes, quas suo ingenio peperit, omnes hic ponam. Impressæ sunt igitur aliæ orationes permultę, quas in exequiis summorum hominum habuit sacris in locis. Sed legit nunc nostra ætas Victorij vigilantia sine errati suspicione Epistolas ad Atticum; legit itidem Epistolas, quæ familiares vocantur; in quibus plurimis in locis cùm planè lectio antea non consisteret, ita nunc omnium iudicio probatur, vt sensus nec verior, nec genuinus magis à viris doctis non requiratur. Epistolæ, quas grauibus de rebus ad varios homines scripsit, magno nūc apud omnes sunt in precio. Ab eodem integritati suæ restituti sunt Sallustius, Terentius: complures præterea auctores, qui multis in locis deprauati nec legi rectis studiis poterant, neque intelligi, nunc variis mendis expurgati & beneficium viri doctissimi ostendunt, & præclaris annotationibus xxxviii. librorum variarum lectionum, quantum valeret ingenio, quotidie testantur. Vsus præterea purè, latineq; scribendi, quo nostra ætas nunc vtitur, ab Victorio præcipuè ortus est. Lectis enim verbis, pro priisq; res agitur; eaq; diligentia adhibetur; vt ipsa Ciceronis ætas beneficio disertissimi viri rediisse videatur. Eò, vt est nostrorum hominum opinio, iam ventum est, vt nostra ætas (quod superioribus temporibus factum non est) nobilissimis disciplinis sit ornatior, & instructior. Cùm id ipsum Victorium non fugeret, ad hanc rem quàm ille appositè, quàm consultò se accommodauit, &, vt communi vtilitati inseruiret, quàm multis se implicari laboribus passus est? Quamobrem cùm latinæ linguæ ratio habita esset ab eo vehementer, vt Aristotelis opera interpretaretur (hic enim auctor exornandis animis, atque instituendis opportunus præter ceteros habetur) & voce, & scriptis aggressus est. Habet Aristotelis librum nostra ætas de

arte

arte poetica, quem Victorius Cosmo Duci dicatum nobili commento illustrauit; habet Demetrium Phaleræum, qui antea iacebat in tenebris eiusdem huius viri opera promulgatum; habet Aristotelis Ethicorum, habet Politicorum opera singulari artificio enucleata; habet de arte dicendi librum insigni interpretatione explicatum. His omnibus lucubrationibus ad summã, cunctisq; ex partibus absolutam eruditionẽ patefactum est iter, tam magna cum gloria Victorij, vt non vnius vrbis, sed omniũ hominum cùm agatur commodum, tam illustri beneficio huic viro clarissimo terrarum orbis obstrictus esse videatur. Præter cætera studuit vehementer, vt cura quàm maxima, & quàm grauissima opus de arte dicendi expoliret, traderetq; summis ingeniis expurgatum; ita enim illud vetustas vitio temporum deprauarat, variisq; in locis multis mendis corruperat, vt, vel doctis viris in causam incumbentibus, deploratum planè, & desperatum videretur. Quoties vt sæpè vsu venit, res aliqua difficilis, atque ardua grauissimis in auctoribus incideret, minimè ille suo ingenio contentus aliorum iudicium requirere solitus est. Idcirco igitur Baccius Valorius in primis, sed nonnulli alij præterea appellati sunt; qui, vt Victorium audirent, cùm eius domum frequentarent, simulatq; huius rei admoniti erant, doctissimo viro obsecuti sunt, & non minimum doctrinæ sibi hoc facto pepererunt. Iam verò quàm fuerit gratus viris principibus, quàm ob mores suauissimos expetitus, quàm donis egregijs affectus, ne longior sim, nequaquam hic ponam; satis tamen constat, viros alienigenas atque insignes, qui hac sui negotij gerendi causa transibant, vt viderent Victorium, vt cum eo colloquerentur, ad eum persæpè diuertisse, Magnosq; nostros Duces felices iudicasse, qui in suo regno virum tam insignem, tam egregium haberent. Cùm multiplici doctrina, magnoq; ingenio præditus esset, studio religionis, & pietatis flagrauit semper eius animus; qui tandem morbo grauissimo implicitus, (cùm tota vita in hoc negotio sui similis esset) ad extremum vsque spiritum hanc mentis propensionem sanctissimè retinuit, Suscipiendis igitur sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, quibus animus ad diem mortis obeundum præmuniri solet, quamquã admonebatur, vt sibi parceret, cùm maximis doloribus angeretur, exiuit è lecto tamen, flexisq; genibus, atque in cęlum ocu-

lis intentis, diuinum numen inuocans Eucharistiæ Sacramentũ demissisimè sumpsit, & summa pietate adorauit. Hoc pacto vir maximè insignis, & doctissimus mortuus est; cum septimũ, & octogesimum annum ageret. In templo Sancti Spiritus gentilitio in sepulchro sepultus est; eò doctissimorum hominum, atque ingens nobilitatis concursus honestandi funeris causa cõuênit; vbi è loco superiore Leonardus Saluiatus, Diui Stephani eques verba fecit; laudauitq; Victorium ornatissima oratione, multamq; ea re omnium iudicio laudem est adeptus. Ego verò duas orationes dissimili argumento, dissimiliq; stylo eiusdem rei causa conscripsi; &, vt typis impressæ ederentur, sedulò tanti viri nomine curaui.

LEO BAPTISTA ALBERTVS. XI.

LEO Baptista familia Alberta, quæ nobilissima est, Florentiæ natus est anno M. CCCC. . . . . Hic magno præditus ingenio disciplinis mathematicis institutus permulta virtutis vel primis temporibus ætatis signa dedit. Pingendi studio incensus dedit operam picturæ non mediocrem, eoq; artificio delectatus, cùm literarum opus non intermitteret, res multas varij generis sua manu pinxit, multamq; hac industria laudem est adeptus. Nunc igitur doctrinis humanioribus, in quibus eruditissimus euaserat, nunc aliis artibus egregiis edoctus ita suum ingenium ad res varias appositè versauit, & exercuit, vt documenta vtraq; in re nobilis industriæ nobis posteris reliquerit. Tres libri scitè admodum ab eo latinè scripti de pictura leguntur valde eis, qui hanc artem profitentur, vtiles; & qui, quantoperè eo in artificio profecerit, dum leguntur, egregiè ostendunt. Extat opus miro ingenio elucubratum, quónam pacto res, quæ sunt sublimes metiri in terra posit oculus sine errore. Adhibitaq; est ratio certa, & subtilis, qua viri ingeniosi dum vtuntur, & suum ipsi opus commodè exornant, & rerum vsum variis artificiis proponunt. Leguntur libri itidem de vita ciuili non sine laude; Declarant tamen libri decem, quos de Architectura scripsit, qui vir, & quantus esset; ab hoc viro ratio illa ædificandi antiquorum egregia, & perutilis excitata est, quam temporum iniquitas, & barbarorum immanitas oppresserat.

Nihil enim venustè, nihil commodè moliri, aut fabricari ætas superior solita erat; cùm Leo Albertus res multas, easq; præclaras suo ex ingenio deprompsit; & vt posset vnusquisque ad suũ commodum explicare, declarauit eis in libris tam doctè, tam industriè, vt à viris peritissimis Vitruuius sit Florentinus appellatus. Quod mirum summis in viris iudicatur, minimè verborum opus ab re dissentit; ita enim loquitur, vt fabricari, ita fabricatur, vt loqui rectissimè de suo opere videatur; Nam, quod verbis præcipit, opere impleuit; locus enim in templo Diuæ Annuntiatæ, quò viri sacri ad canendas Deo laudes singulis pænè horis quotidie conueniunt, ab hoc viro egregio proficiscitur; Sigismundo præterea Malatestæ, Arimini Regulo nauauit operam; Ecclesiam Diui Francisci ad formam, quam Leo Baptista dedit, ædificata est tam magno ingenio, vt peritissimorum hominum iudicio, vel nobilissimis totius Italiæ ædificiis non concedat. Nauauit itidem operam Romæ Nicolao Quincto, Pontifici Maximo, multumq; eidem suam industriam, diligentiam probauit. Florentiæ verò domus Cosmi Oricellarij, quæ ea in via sita est, quæ Vinea dicitur, ad formam, quæ a Leone data est, miro artificio ædificata est. E regione huius domus porticus (vt ciuibus Florentinis quondam habere nobilitatis causa mos fuit) hunc eundem auctorem eodem in artificio agnoscit. Tentauit deinde viribus sui ingenij fretus, quantum industria valeret; fecit Comœdiam eo præcipuè stylo, vt à priscis poetis scripta crederetur. Multis igitur exemplaribus dilatata, vt Leo volebat experiri, probata est; quam deinde, vt priscam, & priscis temporibus scriptam, typisq; Lucæ fine vllius nominis auctore Aldus Manutius edendam curauit. Rem ita se se habere credidisset posterior ętas, nisi eandem in suo libro à Leone notatam, Ioannes Albertus Cortonæ Episcopus Baccio Valorio, vt factum fuerat, indicasset. Magno est hic in precio apud Iouium; Bembus verò, vt doctissimum virum, & præstantissimum dilaudat. Inter pictores, & architectos nobiles datus est ei locus, vt notum est; sed viri literati suum omnino sibi vendicant, & pertinere ad se maximè contendunt.

AMERICVS VESPVCCIVS. XII.

NATVS est nobili genere Florentię Americus Vespuccius, vir admirabili industria, atq; ingenij magnitudine insignis; qui iure optimo cum viris clarissimis, qui supra nominati sunt, adnumerandus est. Huic viro industrio, dum doctrinis mathematicis dat operam, in mentem venit, vt in eis rebus, quas didicerat, non turpi otio senesceret, sed vt aliis cõmodaret, ad vsum mortalium explicaret. Hic igitur vir nobilissimis artibus, eisq; mathematicis ornatus eò discendo est progressus, vt non vnius ædificij facultatem, sed molem orbis terrarum totam animo comprehenderet. Hac mentis magnitudine impulsus non inani cogitatione, sed certissimis indiciis admonitus est, terras numquam antea visas, nec cognitas posse reperiri; quò si nostri orbis homines penetrarent, futurum esse facilè arbitratus est, vt rerum vtilium commercium, si quæ essent, oriretur, atque eorum incolæ nostris commodis, & nos eorum diuitiis vteremur; peropportunè igitur factum est, vt Hispaniæ Reges acerrimi viri, atq; ingeniosissimi operam requirerent. Hoc nomine forti animo Americus iis nauauit operam, studuitq; quàm potuit maximè, vt summa fides vnà summo cum artificio expectationi virorum principum respõderet. Eò vir mirus igitur penetrauit, quò nemo quisquam ne cogitatione quidem antea peruenerat; eò conculcatis mortis periculis progressus est, quò adiri posse nõ putabatur; iussu enim Emanuelis, Regis Lusitaniæ multis eius nauibus imperauit; ingressusq; zonam torridã, & lineam æquatoris exuperans vltra tropicum Capricorni immensis se itineribus extendit, tam forti animo, tam constanter, vt suæ propemodum salutis oblitus nihil aliud curare videretur, nisi vt Regi suo fideliter inseruiret, & Dei omnipotentis voluntati, quo Iesu Christi fidem in barbaras gentes sereret, & propagaret, sua admirabili vigilantia satisfaceret. Dum vir mirus rerum mathematicarum scientia fretus, & quadrantis, & astrolabij præsidio cœli regiones metitur, ita, dum nauibus vehitur, suum in terris iter moderatur, & regit; vt cunctis in locis peregrinus, & hospes, aut tamquam totius orbis terrarum incola, vbiq; sedes repererit, vbi è suo numero

mero homines collocet, vbiq; etiam auri, & argenti copiam, quibus suum Regem locupletet, summa industria collegerit. Cùm vrsam maiorem nostri orbis, atq; etiam minorem septem stellarum videre desiisset, quibus syderibus nostrates nautæ suo in cursu moderando vti solent, magno profectò ingenio, summaq; scientia fuit opus, si manere in proposito, & regredi eò, vnde discesserat, salutariter volebat. Extant adhuc binæ literæ, quas scripsit ad Petrum Soderinum, qui tunc Florentiæ Dictator erat, & magna cum auctoritate Reipub. præsidebat; quibus literis scitè admodũ, & sapienter narrat, cùm anno M.D.I. sexto Idus Maij Vlysippone oras soluisset, superatis immensi Oceani terroribus, contigit, cùm ad meridiem cursum dirigeret, res tam inusitatas reperire, tam visu numquam cognitas videre, vt eas quo minus scriptis mandet, & multitudine se, & nimia admiratione dicit deterreri. Satis tamen constat, ad regna, quæ postea in his longinquis regionibus statuta sunt, condenda, vnum Americum magna ex parte sui ingenij magnitudine fuisse repertorem, atq; eidem, qui noui orbis terris sunt potiti, magnum debere beneficium, qui infinitis eius laboribus nunc labore exiguo fruuntur. Non sine causa multis itineribus portentosis magnum est nomen Americus, & magnam gloriã consecutus; qui & subternauigati orbis laudem tulit, & vt maxima totius orbis pars à se reperta peramplis laboribus America appellaretur, singularibus suis meritis effecit. Res singulas ille vniuscuiusq; sui itineris conscripsit, sed retinere apud se libros omnes summi viri principes voluerunt; quorum enim auspiciis, & sumptibus res agebatur, vt statuerent suo iure, quod visum esset, æquum omnino videbatur. Hæc scripta tamen si publicè extarent, & quanta fuisset virtus tanti viri magis liquidò ostenderent, & gloriam magnorum meritorum augerent.

FRANCISCVS GVICCIARDINIVS. XIII.

QVI benè scribendæ historiæ exemplar videre vult, Franciscum Guicciardinium præcipuè intueatur. Hic nobilissima familia ortus Florentiæ ineunte ætate, simulatque sapere cœpit, tam multis se ad vim ingenij augendam præsidiis communiuit, vt cùm esset factus ad uirtutem sua sponte, non expectata

ctata suorum annorum maturitate præcurreret rectè factis tempus ætatis, & rationis usitatæ modum mira cupiditate præueniret. Magna illius erat uirtutis opinio apud omnes, magna expectatio; vt cùm ingenio ualeret multum, industria floreret, res nulla esset tam ardua, tam difficilis, quam suscipere magno animo, atque egregiè conficere non posset. Oblata est igitur occasio experiundæ virtutis, cùm vel virenti ætate potissimùm delectus est, vt legationem apud Regem Hispaniæ suæ Reipub. nomine obiret. Non dicam, quàm benè, quàm grauiter, quã sapienter se se gesserit, cùm exitus huius muneris fuerit eiusmodi, vt hominum, vel magna cupientium cupiditati mirabiliter responderit, atq; expectationem, quæ erat excitata, superarit. Hac fama impulsus Leo, Pontifex Max. non dubitauit Guicciardinium in concursum maximorum negotiorum vocare, magnamq; sui oneris partem eius vigilantiæ delegare. Superioribus temporibus ea regio, quæ Flaminia nuncupatur, quæq; ditioni Pontificiæ subiecta est, magnis, perpetuisq; Regulorum contentionibus ita exagitata est, vt nec consistere tutò suis in vrbibus, nec vllo tempore tranquilla pace frui posset. Quàm seuerus esset Guiciardinius, cùm res requireret, quàm acer in capiendo consilio, sæpè ostenderat. Pontifex autem Leo cùm mederi tam magnis perturbationibus vellet, Guicciardinium delegit potissimùm, cui multis verbis hanc ipsam regionem regendam dedit; &, vt curæ illi esset, præcipuo quodam modo commendauit. Non fefellit viri sapientissimi iudicium Guicciardinius; qui abstersis contentionum causis, oppressisq; perditorum hominum consiliis, & populi insolentiam persæpè sine causa fluctuantis frenauit, atque impetum, quo legibus parere melius assuesceret, singulari vigilantia repressit. Quo tempore Pontifex Mutina, & Rhegio potitus est, has vrbes vt tueretur, Guicciardinio mandatum est; præfuit Parmæ præterea Pontificis nomine; atq; ita præfuit, vt Gallos oppugnantes remoueret, & Parmenses, dum magnis periculis trepidare non desistunt, incredibili animi constantia confirmaret. Hoc ipso ferè tempore cecidit tormenti ictu, Ioannes Medices; qui, dũ partes Regis Galliæ tuetur, quàm magna esset Itala virtus, multis fortiter factis persæpè demonstrauit. Collegerat Ioannes cunctis ex Italię locis viros fortes, pręceptis militaribus erudierat,

dierat, vt non solum seruare ordines, sed petere hostem, fortiter facere edíscerent, res arduas aggredi, & nullis belli periculis terreri. Huic legioni, quæ post mortem Ioannis Medicis nigrarum cohortium nomine appellata est, Guicciardinius cũ summo consensu militari, tum iussu Pontificis præpositus est; vt cunctis planum esset, quòd qui consilio esset insignis, ab militari animi magnitudine non abhorreret. Guicciardinium præterea suis copiis Pontifex præfecit, quas, cùm Rex Gallorum armatus in Italiam descenderet, debebat cum armis Caroli Quincti sociare; eoq; in negotio quanti fieret, satis tunc patuit, cùm ei summis hominibus, & viris principibus ius esset imperandi. Curam regendę Bononię iussu Pontificis alio tempore ita suscepit, vt viri fortissimi, & sapientissimi nomen inde assequeretur. Ita enim Quadraginta virorum cupiditati obuiam iit, vt eorum vnusquisque sentiret, rem esse sibi cum viro forti, & egregio; qui sciret, & hominum voluntati moderari, & habere summæ dignitatis, cùm esset opus, rationem. Fuit in iudicando absolutæ firmitatis, & magni iudicij; atque in rebus, quæ valde cõtrouersæ sunt, adhibita est seueritas eiusmodi, vt nonnulli similem esse viris principibus, alij etiam cum Salomone, Rege omnium sapientissimo conferendum esse dixerint. Hæc tam magna laus in eam opinionem homines adduxit, vt sua ætas omnium consensu Guicciardinium vnum ex septem Sapientibus Italiæ iudicarit. Res igitur tam multas idcirco enarrauimus, in quibus hic admirabilis ingenij vir summa cum dignitate versatus est, vt sit cunctis exploratum, ab eo res gestas clarissimorum virorum mandari potuisse perpetuæ memoriæ certissimis rationibus, qui vel perpetuò interfuerit, vel testatis ab indicijs acceperit. Guicciardinius enim ingrauescente iam ætate, & multis laboribus confectus, statuit Florentiam in patriam reuerti, &, quod erat reliquum temporis, honesto in otio transigere. Verumtamen ne animus, qui alta spectauit semper, inerti otio contabesceret, decreuit res gestas sui temporis, in quibus ipse magna ex parte interfuit, verbis Tuscis perscribere; & ne memoria magnorum negotiorum intercideret, seculis post se futuris commodare. Habemus igitur historiam quinquaginta annorum magnis summi ingenij artificiis elucubratam; quã doctorum virorum iudicium dilaudat vsquequaque; atque vniuerso-

uerſorum hominum conſenſus miratur, & probat. Ab hoc ingenioſiſsimo viro explicatur opportunè ſeries temporum, locorum ſitus, hominum conſilium, & rerum geſtarum conditio; atque ea ratione explicatur, vt rem ipſam agnoſcere, & intueri videare. Legenti nulla venit in mentem ſuſpicio gratiæ, opinio nulla mendacij, nulla fucati ſenſus ambitio; habetur enim ratio grauitatis, colitur præcipuè veritas, animusq; nullo vitio deprauatus commendatur. Quicquid dicitur, mira quædã animi integritas tuetur; nec ſolum narrantis ſpectatur auctoritas, ſed res ipſa, vt geſta eſt, potiſsimùm attenditur. Nuſquã in orationibus multus, ſed capitalis; nuſquam ineptus, ſed opportunus reperitur; æqualem nactus ætati ſuæ facultatem ita rẽ perſequitur, vt ea ſuo iure præcedens narrantem trahat ſecum quodam modo diſsimulanter, & veritatis terminos, quos ſemper adamauit, tranſilire non permittat. Non diſcedit à veritate, dum orationibus rectis ſemper vtitur; quas ea ratione tractat, vt eum, qui eas habuit, agnoſcere, non Guicciardinium, qui ſcripſit, audire videare. Orationum, quæ ſunt obliquæ, alia ratio eſt; ſtudet illa breuitati, ſed veritati quandoque eſt fraudi; quin etiam vt verbis paucis rem exponit, ita à certo ſenſu plerumq; laborat; maximisq; in negotiis quòd parùm commoda ſit, Liuius, & Salluſtius pleniſsimè oſtendunt; qui (quoties vſu venit) vſquequaque rectis orationibus vtuntur. Cùm ſedulò inquirerem, cur Guicciardinius in ſcribenda hiſtoria ceteris omnibus ſcriptoribus præferatur, hanc vnam eſſe cauſam, eamq; veriſsimã ſum arbitratus; dum enim rem ipſam narrat, ita eam ante oculos ponit, vt non aliquando fuiſſe, ſed geri in præſentia videatur; nec geri res tantum, ſed vt is, qui legit, quodam modo interſit, dum geruntur; neque enim ineptiis, nec fucatis artificiis paſcitur animus, ſed manu penè ducitur ad eas res inſpiciendas, quas intueri tantopere deſiderat. Quicquid colligit ſummus auctor, non ars, ſed natura molitur; ſedulitas, quæ ſua ſponte oritur, rem conficit, non induſtria; vt cùm totum corpus complectare, rerum tibi maximarum, & nobilium ſpectaculum proponas. Vt ipſius naturæ ordo eſt, ita temporum ſeries, & locorum attenditur; quibus rebus ab auctore pulcherrimè negotium conficitur; quæ res in hac hiſtoria tam egregiè conſeruatur, vt is, qui legit, rem, non artificium

ſcribendi

scribendi (quod tamen non desideratur) intueri videatur. Id igitur mirum opus Guicciardinij præsentia (qui cunctis rebus interfuit) nauiter præstitit; non diligentia scribendi penitus, quæ ad tantam vim, quanta exprimitur, non aspirat. Auctor ipse qui cunctis rebus, de quibus scripsit, semper interfuit, dū narrat enucleatè,& appositè, manu, vt dictum est, lectorem ducit, & rem vnam quamque sibi notam pænè digito ostendit. Stylus ipse naturali quodam studio expolitus est, & dum cupidè verborum ornamenta non corrogat, opus, quod omnium cupiditati mirabiliter respondet, nobilissimum, & maximè egregium confecit.

MARCELLVS ADRIANIVS. XIIII.

SINGVLARIS ingenij vir, Marcellus Adrianius se offert; qui, dum literatum nobilibus monimentis se se auget, hanc nostram patriam præclaris laudibus illustrat. Natus est Florentiæ nobili genere, anno M.CCCC.LXIIII. Vir miræ eruditionis res cunctas, quas didicit, in varia studia, pro vt erat opus, partitus est. Contigit enim illi, dum suæ Reipub. nauaret operā, atque eidem à secretis epistolis princeps scriptor inseruiret, vt summa eruditio non mediocri præsidio sibi esset; Dum docet præterea Græcè, & Latinè superiore è loco, iuuit eum necessariò eadem doctrina. Quòd autem mandauit literis, & quod monimentis adhuc extat, satis declarat virum insignem aliorū testimonio parùm egere, qui tam magnificè sua virtute se illustrat. Vis ingenij numquam dormitans, & experiens, mirum omnino dictu est, quàm multa sit strenuè complexa, & quàm egregiè confecerit. Honestabat eum volubilitas linguæ,& vox canora, dum publicè doceret; eruditio autem mirabilis mirā faciebat sibi audientiam; vt ipsa iuuentus, quæ semper erat frequens, & commendare hominis ingenium, & doctrinam effer relaudibus præcipua inductione animi consuesceret. Accidit igitur, quod minimè prætereundū est silētio, vt legatio hominū honestorū magnis de rebus Florentiam veniret; qui, cùm essent doctissimi, Marcellum, quem fama illustris doctrinæ cognitum habebant, audire velle se dixerunt. Imparatum deprehensum esse arbitrabantur nonnulli, cum deberet, vel subitò summorū

hominum expectationi respondere. Hic suo sibi ingenio confisus, sumpta eorum similitudine, qui repentinò homines hospitio recipiunt, appositè, & eleganter ad suum rem ipsam propositum accommodauit, cùm alij raptim atrium, & triclinium perpoliunt, alij stragulata veste explicata parietes exornant; nonnulli mensam expediunt, quidam etiam cibos conficiunt; qui tamē, si quid in praepropera festinatione offensum fuerit, veniam sibi ab hominum aequitate datum iri arbitrantur; eodem modo sibi ipsi dixit euenire, cùm subitò essent hospites nobilissimi recipiendi praeclaris literarum epulis; sibi enim vni properandum, vt essent omnia suo loco, suoq; ordine parata; quae si parùm essent prouisa, veniam sibi tamen datum iri tam subito virorum grauissimorum aduentu arbitrabatur. Caetera deinde, quae prae manibus erant, tam industriè, tam ingeniosè persecutus est, vt, cùm suo muneri responderet egregiè, in omnibus, qui aderant, admirationem non mediocrem commoueret. Id verò in Marcello mirum fuit, quòd dum doceret publicè, & iuuentutem humanioribus literis erudiret, nomine Reipub. literarum scribendi munus numquam intermisit. Hoc eodem tēpore gerebat bellum ciuitas nostra cum Pisanis; quotidie igitur magna negotia oriebantur; quotidie noui casus nouas curas, & noua consilia afferebant. His rebus expediendis perpetuò aderat Marcellus; ille, si quid nuntiabatur timoris, excipiebat; ille, si quid proponebatur laboris, sustinebat; ille magnis in perturbationibus magna cum fide vigilabat. Iam verò, quàm diu fuit supremo in magistratu Petrus Soderinus, semper illi Marcellus praestò fuit; negotiisq; grauissimis districtus, strenuè, quae ille iubebat, exequebatur. Sed quantus profectò vir esset, multae lucubrationes, quas in opus Dioscoridis scripsit, quotidie testantur. E Graeco in Latinum conuersus ab eo Dioscorides, & commento illustri declaratus indicio est, quàm multa doctrina, magnoq; ingenio praeditus esset. Tentarunt postea rem eandem nōnulli, sed in hoc labore Marcellus princeps fuit; qui rem vtramq; tanta diligentia persecutus est, vt ab huiusmodi rerum peritis magnus eidem honor habeatur; &, dum vsus frequens vsurpatur, doctissimus quisque vir viri doctissimi iudicium agnoscat. Id opus summa industria absolutum Leoni Decimo, Pontifici Maximo, tunc recens creato dicauit; quae

res

rès tam grata fuit, vt Marcellum ad se euocauerit, &, vt primo quoque tempore se conferret Romam, imperauerit. Destinarat vir ille summus viri doctissimi opera vti in rebus grauibus; de quo iam quantus esset, cùm promulgatis lucubrationibus appareret, &, vel eo ipso tacente, res ipsa sua sponte loqueretur. Sed multis laboribus, vigiliisq; fatigatus, dum se comparat ad iter, vt præstò sit Pontifici, incidit in morbum, leuem initio, sed ita grauem tandem est expertus, vt eodem sit extinctus. Magna eius morte iactura literarum facta est; eo enim tempore mortuus est, cùm vis ingenij floreret maximè, & de eius doctrina spes maxima esset excitata. Anno enim septimo, & quinquagesimo suæ ætatis extinctus est, cùm se ad res grauiores cõpararet, lucubrationesq; maiores, adiuuante ingenio, colligeret. Reliquit filium, Ioannem Baptistam, qui eidem in docendi munere successit; quique consimili doctrina tanti decoris laude dignus visus est. Docuit enim superiore è loco annos xxx. multa cum dignitate; qui cùm suum ingenium nobilissimis disciplinis exornasset, magnoq; vsu ad suum se munus exercuisset, perfecit magna cum laude, vt se doctissimi homines frequentarent, nec gloriæ aliquid in eadem familia imminutum esse sentirent. Eloquentiæ studiis deditus incendebat homines, vt venirent auditum; sed vis multiplicis doctrinæ tam multos sibi, eosq; eruditos deuinxerat, vt magno grege semper comitatus, quanti esset, sua sponte facilè ostenderet. Tam fuit ille magno præditus ingenio, vt numquam ad docendum publicè non esset benè meditatus; quoties enim vsu venit, cùm puer, qui codicem ferebat, præstò non esset, nec tempore ipso compareret, vt sumpto libro ab aliquo ex iis, qui veniebant auditum, lectionem totam persequeretur, duceq; memoria, quæ in eo mirabilis erat, totum negotium strenuè perageret? Magno erat indicio, fuisse eum optimis disciplinis instructissimum, qui vel subitò, simulatq; res ipsa oblata esset, dicere posset de rebus grauissimis appositè, & copiosè, atque omnibus, vel cupidè expetentibus, vel sitienter expectantibus opportunè respondere. Cùm expeteret Cosmus, Magnus Dux, vt historia sui temporis scriberetur, cùm essent multi in ciuitate, qui libenter id operis susciperent, vnus tamen Ioannes Baptista delectus est, qui hanc rem, quæ omnium grauissima est, potissimùm susciperet.

peret. Expectationem viri amplissimi non fefellit vir doctissimus; qui suscepto negotio, quod mandatum ei fuerat, tam magna industria persecutus est, vt & viris doctissimis satisfaceret, & ceterorum expectationi pulcherrimè responderet. Habebat ille Tuscæ linguæ artificia benè cognita; in libris Græcorum, & Latinorum auctorum volutatus magnum erat vsum consecutus; accedebat vis ingenij omnino admirabilis, & grauis, vt quid vis vel maximum, modo adesset otium, implere posset. Cùm esset igitur his præsidiis munitus, conflata ab eo est historia cùm multis ingenij viribus, tum clarissimis eloquentiæ artificiis. Spatio enim annorum quattuor, & quadraginta, quibus historia concluditur, res multas, varias, periculorum plenas est complexus; quibus enarrandis ita tenetur legentis animus, ita scribentis industria oblectat, vt nihil, quod ad summam historiæ grauitatem pertineat, desideres. Mortuus est anno M.D.LXXIX. ætatis autem suæ septimo, & sexagesimo. Laudauit eum (cùm hominum nobilissimorum, & doctissimorum concio aduocata esset) insigni oratione Franciscus Boncianus, in templo Diuæ Mariæ, cui ab Alberighia familia nomen est; qui locus publico gymnasio pænè subiectus, vbi docuerat Ioannes Baptista, non sine causa delectus est; vt pænè ibidem laudaretur, vbi ad aliorum emolumentum gloriosis se laboribus exercuerat. Succesit in eodem munere docendi Ioanni Baptistæ Marcellus filius; qui paternæ, atq; auitæ gloriæ non indignus hæres docuit superiore è loco itidem publicè summa cum laude; cui iuuentus Florentina dedit operam multos annos eo pacto, vt Græcis literis per eum benè erudita summi viri, & doctissimi beneficium quotidie testetur. Libros multos Plutarchi è Græco in Latinum conuertit; qui, si euenerit, vt promulgentur, quam eius magna doctrina sit, facilè ostendent. Magno literatorum hominum mœrore mortem obiit, anno M.DC.IIII. cui in Ecclesia Diui Petri iusta satis magnificè facta sunt. Laudauit eum pro concione Auerardus Medices, iuuenis nobilissimus luculenta oratione; mira facta est ei audientia cùm eius, qui laudabatur, meritis; tum artificiis dicendi, quibus Auerardus egregiè, & copiosè vsus est. Marcellus senior in suburbano templo Diui Francisci sepultus est, & vnà cum statua marmorea hoc epitaphio decoratus est.

Suprema

Suprema nomen hoc solo	Erexit hæres, nesciꝰ
Tantum voluntas iusserat	Famæ futura, & gloriæ
Poni; sed hanc statuam pius	Aut nomen, aut nihil satis.

VINCENTIVS BORGHINIVS. XV.

PERAMPLIS oneratus meritis summis cum viris numerandus est Vincentius Borghinius, qui natus Florentiæ eius Xenodochij appellatus est Prior; vbi aluntur infantes, qui à parentibus nimiam ob egestatem destituti eum in locum lactentes, & vagientes deferuntur. Hic acri ingenio, & magno, dũ grauibus rerum maximarum occupationibus distinetur, susceptis nobilium literarum curis, magnum vtroq; in negotio nomen laudis est adeptus. Iudicio tam explorato, tam firmo preditus fuit, vt ab eo, quod ille sentit, nemo dissentiat; sed, quod semel statuit, verissimum esse planè existimet. Vix quisquam otiosus tam multa collegit, quàm hic multis negotiis districtus res varias conscripsit; otium nullum tota vita fuit ei otiosum, qui ingeniosus, & experiens cùm res vtiles, & commodas semper cogitaret, benè mereri de humano genere numquam destitit. Dum originem ciuitatis Florentiæ vestigat, quàm ille subtiliter, quàm ingeniosè scrutatur, quàm omnia acri iudicio perpendit? Nostratibus hominibus gratum opus fuit; alienigenis gratissimum; vt res singulas habeat cognitas, quæ ad ciuitatẽ nostram pertinent, nemo est, qui vehementer ad eius nomen non se commoueat; tam ille res multas dignas scitu, & quæ ad nostram patriam pertinent, tam egregias collegit, vt homines discendi cupidos non mediocriter delectet, &, cùm ciuitas ipsa inuitet sua sponte, res ipsa tamen, quam summo ingenio persequitur, legendi stimulos facilè suppeditat. Homines literati, & graues magnis se vtilitatibus, dum legunt, fatentur augeri, multumq; vt cognoscant omnia, libenti animo laborant. Rem perditam præterea ad vitam, & vetustatis tenebris obrutam ad lucem reuocauit, cùm vrbis Fesularum originem indagare, & reperire conatus est; omnino acri iudicio fuit opus, vt, quod desperatum fuerat, restitueret, & extinctum iam videndum omnibus proponeret. Quid dicam de opere, quo totam Etruriam complexus, atq; vrbes eiusdem regionis enumerans doctrina

ctrina quàm maximè insigni pescrutatur, quænam fuerint duodecim illæ vrbes, quæ rerum initio in terris conditæ præcipuo quodam modo à viris doctis requiruntur? quantum ingenio, quantum industria valeret, dum rem omnium difficillimam vestigat, satis vir ingeniosus ostendit; qui argumentis, & certissimis indiciis rem latitantem in medium profert, &, ne dubitari de veritate posit, multis verbis persuadet. De municipiis autem, & Coloniis fuit omnino arduum opus, quod confecit; sed tamen commodum vsquequaque, & expetitum. In causa fuit origo nostræ vrbis, quam indagare constituerat, vt vehementer laboraret; qua ille rerum copia, quo ingenio rationes vndique corrogat, vt tandem liquidò appareat, quæ sit eius natura, & conditio, & quid omnino de re proposita statuendum sit? Quod igitur scriptores veteres latuit, qui annales nostræ vrbis confecerunt, summa Borghinij industria cognitum est, Florentiam esse Coloniam, eamq; militarem, quæ à triumuiris, Cæsare, qui postea Augustus dictus est, Antonio, & Lepido deducta in magnitudinem tam insignem deinde creuit, suasq; vires longè, lateq; tam mirabiliter dilatauit. Viri militares, qui in hanc Coloniam adscripti sunt, ex tribu Scaptia fuerunt, in qua erat Augustus; quam gentem, ne de nostræ vrbis nobilitate dubitetur, nec infimæ conditionis fuisse, & bonis natalibus ortam esse, non desunt, qui grauiter affirment. Hæc omnia Tusca hac nostra lingua Borghinius scripsit, stylo omnino à grauibus auctoribus non abhorrenti; qui si quandoq; obscurior quibusdam visus est, verborum tamen grauitate (dũ paululum attenditur) quæ sit eius sententia, ostenditur. Liber verò de familiis Florẽtinis est omnino mirabiliter insignis; quàm ille res multas in eo, quàm verè, quàm grauiter proponit, quàm vtiliter perpendit? peregrinari videbatur ciuis Florentinus antea in sua ciuitate, qui, quid vnaquæque res valeret, ignorabat. Nunc autem nobilibus scriptis edoctus lucubrationibus viri doctissimi fruitur, & vim ingenij accerrimi agnoscit. Alij insignia, nonnulli stemmata appellant, quæ in clypeis depicta (quia in bellis vnusquisque nota aliqua distinguebatur ab alio) Arma communi nomine vbique appellata sunt. Hæc res nunc tam latè patet, vt familia sit nulla sine stemmate, nec stemma omnino vllum sine familia intelligatur. Hanc totam

mate-

materiam tractauit Borghinius subtiliter, & ingeniosè; protulit in lucem, quæ latebant, quæ dubia erant, demptis erroribus, confirmauit, quæ obscura, rationibus certis illustrauit. Quid dicam de moneta, & de pecuniis Florentinis, quàm ille accuratè, quàm diligenter hanc rem vno volumine persequitur, quàm omnia summa industria vestigat, quàm magna diligentia, quò vult, tandem aliquando peruenit? Iam verò in exquirendis nostræ vrbis rationibus omnino mirus est; dum quærit, vtrum Florentia à ducibus impotentissimis magnis cum exercitibus fuerit vmquam deuastata; atque vtrum imminuto suæ libertatis iure ab Imperatoribus se pecunia redemerit. In quo negotio tanto ille studio perpendit omnia, tam valde in res obscuras se penitus insinuat, tam certa ratione concludit, vt in iis denique, quæ proposita sunt, nihil desideres, & iure optimo cóquiescas. Cóplexus deniq; Ecclesiæ Florétinæ negotiū, confecit librū de Episcopis, atq; Archiepiscopis Florétinis singulari diligétia profectò; qui liber verè aureus est, atq; omnium iudicio eiusmodi, vt auctor ipse, cùm gratum viris doctissimis fecerit, ab Sacerdotibus huius diœcesis de manibus numquam dimittédus esse videatur. Omnibus res deplorata, & perdita videbatur, cùm esset ordo huius negotij (amissis, &, qui reliqui erant, deprauatis codicibus) ab initio repetendus. Sed tamen multo labore, multaq; industria perfecit vir eximius, vt victis difficultatibus, res ipsa se se panderet, &, quid esset suis in latebris, tandem aperiret. Qua ille patientia idcirco libros manu scriptos conquisiuit, quàm deinde subtiliter euoluit, quàm ingeniosè ad suum ipse animi propositum vsus est? Homines eruditi, & qui in eiusmodi rebus diu versati sunt, sedulò affirmant, nihil fieri posse ingeniosius, nihil subtilius; qui, cùm res esset obsita tenebris, per hominem doctissimum lucem veritati redditam esse vident, & fatentur. Qui Borghinij occupationes cognitas habet, & qui eum in suo onere Xenodochij districtum multiplici labore intuetur, nihil ei reliqui temporis ad res alias obeundas fuisse iudicabit; qui verò doctrinam in scribendo, patientiam multis in libris euoluendis erit contemplatus, virum apprimè industrium agnoscet, qui huic tam magno oneri non succūbat, sed omnium expectationi optimè respondeat. Qui autem rem vtramque grauiter considerat, multis laudibus prosequitur,

quitur, atque hominem ingeniosissimum, & doctissimum admirari non desistit.

IOANNES CASA. XVI.

FVIT praeterea ingenio, & literis Ioannes Casa praecipuè insignis; qui parentibus Florentinis, eisq; nobilissimis ortus eas artes primis aetatis temporibus edoctus est, quarum praesidio legitimus, & maximè opportunus ad res maiores gradus factus est. Animus ingenuis moribus excultus, & disciplinis, prout tempus ferebat, opportunis institutus, dictu mirum est, crescente aetate, quàm singulis paenè diebus fieret amplior, & melior. Apparebat vel puerilibus annis mens eximia, quae verae laudis cupida res grauiores, quàm fert illa aetas, & viriles magis suscipere, & moliri consueuerat. Eruditus literis Graecis, & Latinis auctores, qui ceteris maximè antecellunt, aggressus est: quibus intentissima cura euoluendis profecit tantùm, vt nequaquam contentus, quòd eorum sensus egregiè perciperet, imitari eosdem, & exprimere suis scriptis tentauit primo; & cùm ipsa res succederet, ingenij viribus fretus grauiora aggredi studia ausus est. Quid sit igitur pangendis versibus adeptus, quo stylo suas animi cogitationes expresserit, quibus modis suos animi sensus depinxerit, & exploratum iam cunctis est, & vno omnium doctorum ore celebratum. Liber Latinis versibus exaratus, miroq; artificio perpolitus eiusmodi omnino est, vt Lyricis poetis non concedat, qui vel Latinis literis, vel Graecis iam scripserunt. Stylus ipse verbis lectis, & rem ipsam significantibus conglutinatus quàm ille, quod proponit, acriter conficit? quàm commouet vtiliter, quàm delectat grauiter, quàm ingeniosè, quod vult, atque aegregiè concludit? Petrus Victorius, qui tanto viro fuit in primis familiaris, hunc vnum huius rei nomine ita dilaudat, vt eis, qui hanc facultatem profitentur, omnino praeferendum esse putet. Liber praeterea, qui de officiis inter potentiores, tenuioresq; amicos inscriptus est, qui latinis verbis scriptus est, ceterorum laborum huius politissimi scriptoris non est dissimlis. Videre licet in hoc opere eandem paenè scribendi rationem, qua vti Ciceronis aetate viri ingeniosi soliti sunt; neque id mirum esset, si aliquem nunc in vllo emenda-

tè,

tè, politeq; scribendi vsum nostra ætas agnouisset; cùm esset antea nemo, qui nihil, nisi inquinatè, & barbarè loqueretur, & scriberet. Tam densis in tenebris tanti viri industria insignis splendor emicuit; admirata est nostra ætas lectissimorum verborum conglutinatam facultatem, & ad vocem elegantissimæ orationis (vt factum est etiam in Victorio) hilarata. Sibi ipsi itaq; non defuit, atq; iter præmonstrantis rationem æmulata, sequitur opportunè, quod proponitur, &, à quo tantum bonū acceperit, ingennè fatetur. Præterea vita duplex, quam scripsit elegantissimè, stylum eundem olet; vita, inquam, Petri Bembi, & Gasparis Contareni, Cardinalium. Hac eadem facultate illustrata est virtus duorum virorum Venetorum; quæ etsi est insignis sua sponte, iudicio tamen viri doctissimi testatam numquam obscurabit obliuio, & perpetua seculorum omnium memoria vigebit. Quid complures epistolas enarrē, quid conciones, quas è Thucidide, Græco auctore, in Latinum converit? nemo melius sua lingua vsus est, quam benè hic peregrinus, & hospes aliena lingua dictauit, & scripsit. Sed vir mirus industria, ingenio excellens, cùm didicisset multa, otium pati non poterat, & cessare tam bonis in rebus scelus omnino iudicabat. Musas igitur Tuscas nimis desidiæ indormientes studiis suis excitauit; docuitq; fateri, nostram hanc linguam mirabilibus viribus esse munitam, & dum modo præstò esset, qui eas explicaret, non deesse facultatem, qua cùm versu egregiè, tum soluta oratione copiosè quid vis persequi posset. Habemus idcirco Lyrica poemata stylo admirabili elucubrata; quæ tam magno ingenio confecta sunt, vt Græcis, & Latinis non concedāt, & in nostris, si vera fateri volumus, mirabiliter excellant. Vt mos est in auctoribus eminentissimis, leguntur publicè superiore è loco; quæ cùm animi causa, tum grauissimè interpretata & eis, qui audiunt vtilitatem afferunt, & illos, qui docent, non mediocribus laudibus afficiunt. Non desunt qui fatentur, hāc vim totam literarum cunctis poetarum lucubrationibus esse prę ferendam; nos autem, si quibusdam in rebus laudem Ioannis Casæ cum Petrarca æquatam esse dicimus, admirabilem omnino laudem, & peregregiam esse arbitramur. Aequatus enim poetæ omnium eminentissimo, vt viri doctissimi existimant, nonne ideo perfecit, vt laus quoque, quæ maxima est, æquata sit?

sit? ne hominem de honore suæ ciuitatis tam benè meritum nimium diligere, & veritatis terminos transire videamur. Veniamus tandem ad prosam orationem; in qua Ioannes Casa præter cetera enituit. Extat oratio de restitutione Placentiæ: pro qua à militibus Caroli Quinti occupata, rogat Ioannes Imperatorem, vt Octauio Farnesio, cuia res erat, restituatur. Hæc vna oratio ex omnibus aliorum, quæ in nostra lingua sunt innumerabiles, legitur attentè; hæc vna & dicendi artificio, & nobilibus sententiis ceteris huius generis præfertur; hæc vna, & verbis lectis, & numeris absolutè elegantibus, vt benè scribendi viuum exemplar, scribentibus proponitur. Et profectò si artificium vsquequaq; excutias, tantum in ea rationis, tantum virium reperies, vt nec fieri melius, nec absolutius esse iudices; sin doctorum hominum consensum intueare, conferendam cum orationibus veteribus summorum virorum forti animo fateare. Opus qui Galatheus inscribitur, quique omnium manibus eximia cum laude teritur, quanti vir hic sit, planè ostendit. Res nulla est tam egregiè elucubrata, quæ his Galathei lucubrationibus minor non sit; nulla tam ingeniosè confecta, quæ huius operis industria non vincatur. Vnusquisque enim, dum legit, diuinum quoddam lac sugere præ se fert, & mirabili quodam nectare se alere videtur, dum gustat auidè nobilium præceptorum sententias, & vim admirandæ scriptionis sedulò imbibit. Hæc morum facultas tam insignis ab Ethicis Aristotelis abest, vt apparet, sed non deest fortasse; spectat vir ille summus semper alta, semper insignia grauiter considerat. Galatheus verò dum hominum naturam intuetur, quæ sua sponte rudis est, atque informis, humanam imbecillitatem miseratus, quæ in Ethicis aberant, de suo addidit, atq; vt hominum animus ad virtutem informaretur commodius, facultatem elegantium morum opportunissimam proposuit. Aggredienti enim res maiores quàm hæc suppellex appositè inseruit, quàm egregiè, vt se virtutibus exornet, vim suppeditat? Gratum fuit opus, vt apparet, mediis, summis, infimis; omnes ita probant, ita sumunt in manus, ita ad res, quæ in hoc opere continentur, se exercent, vt multis se commodis, & ornamentis augeri fateantur. Dilaudatus est à me hic liber vnà cum oratione Tusca lingua, &, quibus rebus potui, celebratus; qui deinde excusus typis, quãti

à me vir summus æstimetur, facilè ostendit. Permultis summis viris Florentia se iure optimo exhilarat; sed hoc viro doctissimo ita gloriatur, vt exultet; & quibus in locis eius celebratur nomen, eam ipsam laudem suam esse ducit, & ad se potissimũ pertinere arbitratur. Miraculi instar visum est, hominem tenui valetudine, cùm esset Beneuenti Archiepiscopus, multisq; etiam occupationibus perpetuò districtus, tam multas res, tam difficiles grauioribus in literis obire potuisse; cùm cogitarit etiam, si vita suppeditaret, de tribus linguis, Græca, Latina, & Tusca, copiosè, & appositè tractare, &, quo pacto vnaquæq; inter se sit affecta, enarrare. Sed morte tam insignis cogitatio interpellata mœrorem suis necessariis, doctis viris desiderium reliquit; ea enim iactura hac rerum perturbatione facta est, quę nullis rebus compensari potuit; atque etiam nunc non desiderio solum, sed pænè lacrimis ab omnibus, qui multum sapiunt, requiritur.

ALOYSIVS ALAMANNIVS. XVII.

INTVENDVS est deinde Aloysius Alamannius iudicio omnium miris laudibus ornatus. Natus Florentiæ Alamannius, & nobilibus artibus institutus, vel primis ætatis temporibus, quanti esset futurus, planè ostendit. Etenim dum studiis se egregiis exercet, contigit ei feliciter, vt saperet plus, quàm fert puerilis ætas, & cunctos eiusdem ætatis, tractandis disciplinis, superaret. Dedit ille permulta ingenij sui, & doctrinæ documenta, dum fuit Florentiæ, idest in patria; deinceps autem velut stirps generosa aliò translata non solum eosdem fructus fert, quos natali in solo ferre consueuerat, sed magis vberes aliquando, & meliores; ita Aloysius in Galliam translatus eo pacto ingenij sui vires explicauit, vt nihil eis vberius, nec melius omnino iudices. Cùm esset Alamannius Francisco, Regi Gallorum Primo carus vehementer, qui Tuscis in versibus se mirabiliter oblectare consueuerat, quo eius animum promereretur magis, varia poematum genera aggressus est, quibus potentissimum virum magnificè, & lautè muneratus est; qui ab eodem adiutus & Regiam liberalitatem est expertus, &, vt rem institutam persequeretur audacter, incitatus. Scripsit igitur

Tuſca lingua Elegias, quas in libros quattuor partitus eſt, ſin gularis elegantiæ plenas, atque artificij. Quod in aliis arduū, & durum eſt, in hoc ſuaue, & facilè perſpicitur; nemo enim tā molli ſtylo, tam dulci vmquam vſus eſt, qui huius perpetua quadam facilitate non vincatur; fluunt ab eo illaborati verſus incredibili ſuauitate, quos nullus labor vmquam, vel multa induſtria adhibitus aſſequetur; qui, cùm res varias ſemper ſecum ferant, quippe qui nectare quodam dulci conditi ſunt, incredibili voluptate legentis animum afficiunt. In his lucubrationibus qua ille eloquentia, quo verborum flumine res ſacras, & pias aggreditur, quibus ſententiis res geſtas Noſtri Saluatoris deſcribit, quàm pulchrè, quàm optimè, quàm diuinitus? Animus enim cœleſtibus rebus dulciſsimè irretitus, dum ea legit, quæ tam piè ſcripta ſunt, ſenſim ſe incendit, atque ad res diuinas ſingulari quodam modo ſe inflammat. Scripſit præterea multas Eglogas admirabili artificio; in quibus poetarum more ſtylo paſtorali res varias perſequitur, dulciq; eloquentia, vt ſolet, legentis animum oblectat. In quo negotio, vt ille ſcribit, ſolutis verſibus, hoc eſt, ſine rhithmis extremis primus hoc edidit poema, doctorumque hominum auribus ſatis commodè hac noua voluptate inſeruiuit. Tam ille ſententiis crebris opportunus eſt, tam concinnus, vt veterum poetarum morem æmulatus nequaquam eorum artificiis concedat, & multis partibus ſępius excellat. Quid rhythmos commemorē, qui verſibus quattuordecim concluduntur? qua ille induſtria, quo ingenio res varias nunc ad grauitatem, nunc ad lætitiam, atque ad animi oblectationem compoſitas comprehendit? quàm eſt ille mirus interdum, quàm egregius, qui quiduis commendandis affectibus conficit, & rem ipſam verbis lectis, & propriis enarrat? Fabula Narciſi mirum in modum ſuauis deſcribitur ab Aloyſio ſubtili quadam diligentia; quæ, conquiſitis artificiis, rem ipsā ita exprimit, vt, dum animus voluptate afficitur, pueri illius caſum ponere ante oculos videatur. Quid ego præterea Atlantis fabulam, & Tyberis inundationem pluribus verbis perſequar? in his lucubrationibus non eſt ſui diſsimilis Aloyſius; vno ille tenore verborum, & ſententiarum, pro vt ſubiecta materies quærit, rem exprimit tanto ingenio, tantaq; copia, vt delectet non mediocriter, & proſit. Lactea illa vbertas, nihil eſt, quod

mirabiliter non conficiat; multiplex verò rerum scientia quicquid aggreditur, sapienter molitur, & concludit. Quid? nonne mirum est, eum, qui natura hilaris, ingenio mitis tam multis in rebus visus est, ad id repente delabi, quod est seuerum maximè, & asperum? Satyras igitur, triste dicendi genus, aggressus est, minimè inuita Minerua, vt dicitur, sed non nihil tamen præter eam expectationem, quæ erat de illo ceteris in rebus excitata. Quas ille Satyras non magno negotio collegit ea de causa, quod ei, qui virtutes omnes egregie imbiberat, atque in eis summa secum laude exercuerat, minimè arduum erat vitia agnoscere, & mores sui seculi deprauatos obiurgare. Operæ pretium igitur ab eo factum est, qui vitæ innocentia, atque animi munditia purus oderat huius seculi insolentiam, & maculosæ conscientiæ homines ferre æquo animo non poterat. Præterea cùm esset periculoso, grauiq; morbo conflictatus (quia se ipsum iam deploratum esse fatebatur) vt, quicquid superesset temporis, de lucro viuere fateretur, firmo animo statuit totam vitam retexere, & Deo cogitationes suas omnes demississimè dicare. Septem igitur Psalmos, vt fecit Dauid, exarauit, quibus se dolenter accusans precatur Deum, vt sibi suam gratiam impertiat, & quicquid peccando superioribus temporibus offensum fuerit, condonet. Alijs in operibus, quæ legi, animi pietatem huius viri, & religionem licet intueri; in his tamen Psalmorum lucubrationibus eximia quædam mentis inductio perspicitur; qua cogitationibus nostræ pietatis nihil esse sibi carius, nihil antiquius ostendit. In tragœdijs explicandis, quæ mirabiles sunt, perspicitur verborum magnificentia, & sententiarum granditas; quàm benè hanc poeticæ facultatem haberet cognitam, hoc rerum genere præcipuè demonstrat. Agrorum cultus solutis versibus, vt dicitur, exaratus, eos, qui hac cura delectantur, vtiliter iuuat. Rerum naturam imitatus ducem adhibitaq; doctrina non vulgari, mirus est conflatus labor, quò in cultu agrorum ita vtuntur nonnulli, vt veterum auctores non requirant. Extat etiam labor diuturnis lucubrationibus confectus, qui Varchides inscribitur; non desunt, qui admirentur, qui dilaudent, qui, cùm res singulas subtiliter expendunt, maximis poetarum operibus opponere non dubitent. Poema præterea, cui Gironi Cortesio nomen est, magnam Alamannio tu-

lit

lit laudem; iudicatum est enim, quicquid ille in hoc genere didicisset, quicquid haberet ingenij, id ipsum in hoc opus contulisse. Nam & res variæ descriptæ sunt industriè, rationibusq; poeticæ artis obseruatis, qui Aristotelem sequuntur, tantopere probant, vt onerare laudibus, & celebrare non desistant. Hæc omnia, dum Regem Gallorum colit, dum viros principes obseruat, dum strepitum cohortis Regiæ non deserit, ita collegit, vt hoc incommodo non nihil laudis meritis iam laudibus adiecerit. Sed profectò qui studet, vt sua opera populo placeant, ab populi vsu, tractandis negotijs, non debet abhorrere. Minimè enim percipiet, nec vmquam grauiter addiscet, quod populo probetur, nisi populi mores, vt fecit Alamannius, & cogitationes optimè didicerit.

De tribus viris clarissimis, Boccaccio, Petrarca, Dante.

IN summi decoris possessionem ita pedem posuerunt tres viri clarissimi, Boccaccius, Petrarca, Dantes, vt orbis terræ iudicio vbiq; gloriosis vocibus celebrentur. ij ea ratione nominantur, vt vnus quisq; optimarum artium scientia excellat, & suam, nostramq; hanc eandem patriam illustret. Est igitur eorum laus tam insignis, vt nostra nunc laus nequaquam necessaria, sed planè superuacanea videatur. Faciemus igitur nunc, quod ipsi fortasse facerent, si viuerent; qui, cùm viderent, se vnius operis nomine tam gloriosè nominari, ceteras lucubrationes, quæ minimi putantur, forti animo abijcerent, &, ne suæ laudi officerent, omnino recusarent; eas nos lucubrationes (rē vnam tantum retinentes) nunc idcirco itidē dimittemus, quæ exigui nominis minime ad summam, qua celebrantur, gloriam aspirant. Viri præterea graues, cùm incipit aduentare vitæ finis, de suis, quos scripserint, interrogati laboribus, eos tantū modo retinent, quos omnium iudicio probatum iri arbitrantur; recusant persæpe ceteros exigua industria munitos, & comburendos esse grauiter decernunt. Horum igitur more, omissis ceteris lucubrationibus, rem vnam in singulis notabimus; quæ & communi omnium ore vbiq; celebratur, & vis insignis industriæ in ea præter cetera perspicitur.

BOCCACCIVS. XVIII.

QVAE operis Boccaccij ratio sit, & cuius rei causa nominetur Decameron, ita est omnibus in promptu, vt meis verbis opus non sit, cùm ipse auctor eo pacto propositi sui rationem enarrauerit, vt, quicquid adijcias, omnino esse supervacaneum videatur. Fabulæ centum, quæ Nouellæ dicuntur à nobis, à Boccaccio enarrantur; quas partim septem florenti ætate mulieribus, partim tribus iuuenibus tribuit; vt tristibus curis, quas pestilentia tunc afferebat, ablegatis, & mortis terroribus vitatis, amœnis in locis, & suburbanis hæc florens societas vitam traduceret, & se è malorum impendentium sæuitia remoueret. Hoc nomine narrandis rebus tum lætis, prout vis ingenij peperit, tum etiam nouis, vt res ipsa quandoq; tulit, conflata est decem in illis personis ea iucunditas, atque eo pacto societas illa hilarata est, vt ex mortis faucibus erepta in lætitiæ sinum recepta esse videatur. Vestigabimus igitur, quo ad eius fieri poterit, quæ causa sit, cur hoc Decameronis opus tam magno sit in precio, vt vno omnium consensu ceteris omnium prosis orationibus præferatur. Res minimè facilis, & maximè ardua, se ipsam aperiet, nisi fallor, si quibus rebus sit confecta, legentis animus attendet. Sensus igitur appositi, atq; opportuni, multumq; ad rem, quæ subiecta est, accommodati, cunctis in fabulis ita dominantur, vt eum, qui legit, simulatq; ceperint, perpetuò retineant, & maximè oblectent. Quoties sermo sua sponte, aut de industria obscurior conflatus est, aut in griphos, & res controuersas est deductu, quàm ingeniosè tamen se exoluit, & rem implicatam quàm explicat enucleatè, & concludit? Qui studet poeticæ arti, & condendis se fabulis exercet, lucubrationes suas huius viri ingeniosissimi lucubrationibus locupletat; qui factus quodammodo ad sollertiam, quæ poetarum propria est, miras ille cogitationes persæpè molitur, quas parit tam multo ingenio, tam subtiliter, vt sine rhithmis in prosa oratione vim admirabilem poeticæ agnoscas. Hinc in rebus formidolosis agnitiones, hinc peripetiæ quandoq; non expectatæ oriuntur; hinc cogitationes incredibili artificio meditatæ se se produnt; quæ dum rem propositam exornant, au-

ctoris ingenij magnitudinem designant. Verborum delectus præterea optimorum mirus est: ea enim delecta sunt (verbis enim Florentinis tantum modo vtitur) quæ propositæ rei maximè conueniunt. Incredibile dictu est, quàm multi hanc verborum exquisitam diligentiam laudarint, quàm probarint iudicium, & in suis ornandis operibus quàm scitè, quàm commodè vsurpauerint. Indicat id magnus numerus obseruationum in hoc opus doctissimorum virorum; indicat assiduus eorũ labor, qui quotidie imitari non desistunt; in eis mira verborũ proprietas, peregrinis locus est, quoties opus est; translatis ita vtitur, vt dignitas in sententijs existat; vsus, qui reliquus est, à ceteris verborum rationibus non abhorret, si quis inquirere diligenter, atque indagare rem voluerit. Iam verò in hoc auctore quanti est illa virtus? qui, cùm res multæ varijs dicendi modis possint vsurpari, omnium verborum naturam cognitam habet; vt, quæ conueniunt magis, magisq; opportuna sunt, ad sui ingenij arbitrium, quod maximum est, scienter, & propriè accommodet. Non mirum est, eum omnibus verbis tam benè vti, atque eis orationem suam texere, cui omnium vocum natura tam benè cognita est. Ingenij acerrimi præterea facultas, id est iudicij quàm maximè obtrusa hanc dicendi vim maximè omnium elegantissimam peperit. Locutiones, & verba scitè, & prudenter vsurpata satis apertè ostendunt, omnia ei perspecta, & cognita fuisse, quæ in hac nostra lingua continentur. Numerus præterea sapienter, & suaui quodam modo commendatus auribus mirus adeo est, vt eo fieri melius nihil possit. Si quid enim, quod suo loco positum est, aliò commutaueris, aut addideris aliquid, aut dempseris, & numerum ipsum deprauatum esse senties, & supellectilem optimorum verborum dissolutam, & pessimè conglutinatam iudicabis. Multæ locutiones præterea de inuictis opus conficiunt cunctis in rebus omnium instructissimum, & optimum. Dicuntur enim locutiones, & verba de inuictis, quæ tanto artificio munita sunt, vt, si mutentur, nullo alio commutato artificio vinci possint; vt quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut dempseris, omnino sit deterius futurum. Hæc res vna auctores omnium optimos, & lucubrationes insignes maximè omnium efficit. Locutiones de inuictis aut verbis vsitatis conficiuntur, aut pariuntur ab eo,

qui

qui scribit, dum sententias admirabiles molitur. Hæc ipsa scribendi ratio non, nisi viris ingeniosissimis, & doctissimis contingit; nec in verbis minus, quàm in sententijs perspicitur; quæ cuiusmodi sit, legenti accuratè, facilè occurret; &, dummodo verborum, & sententiarum attendatur virtus, res ipsa sua sponte se ostendet. Non desunt, qui opusculum, qui Labyrinthus inscribitur, eodem habeant in precio, quo Decameron habetur: Nos nihil, nisi quod viris doctissimis placuerit, statuimus; cui si aderit ea preciosa supellex, quam descripsimus, iniurium quidem esset ea laude priuare, quam mirum artificium potissimùm requirit. Hic minimè silentio prætereundum est, quid Argyropylus, vir natione Græcus, idemq; doctissimus sentiret de Boccaccio; qui Græcis in auctoribus sapienter, & diu volutatus, cùm hoc centum fabularum opus legisset accuratè, affirmare grauiter solebat, Græciam ipsam nullum habere auctorem, qui tam copiosus esset, tam eloquens, nec qui tam magno artificio mores cunctorum hominum exprimeret, nec tam venustè in rebus, & locis describendis cupiditati omnium responderet. Hæc enim facultas tam est insignis, vt laudem eximiam iam pepererit, atq; omnium acerrimis ingenijs probatà vbique cupidissimè legatur. Vtinam ne auctor ipse nimis suo ingenio indulgens sibi ipsi placere voluisset; qui nimia libertate quandoq; inhonestis argutijs dum suis artificijs inseruit, ita mores optimos vulnerat, vt ad arbitrium sanctissimorum virorum emendandus nonnullis in locis fuerit, & corrigendus. Cetera suo loco eo pacto durant, & leguntur, vt nostræ linguæ studiosos mirabiliter iuuent; qui crebra lectione tantum profecerunt, vt magnos inde progressus sint adepti. Ad supremam denique laudem non defuit, qui hac Boccaccij fabulas in linguam Gallicam ex hac Tusca fideliter conuerterit; vt cùm earum sensus propter linguæ inscitiam non benè perciperetur, linguæ suæ præsidio cognosceret Gallia, quàm esset hic auctor mirus, quàm insignis, & in varijs rebus effingendis quàm appositè eloquens, & opportunus.

K PE-

PETRARCA. XVIIII.

NVLLI poetarum secundus Petrarca Florentinis natus parentibus se se prodit; qui varijs lucubrationibus insignis, vno opere, quod Tusca lingua exaratum est, vno omnium ore lyricis poetis antecellit. Non desunt, qui commendent varias lucubrationes, quas scripsit, multisque laudibus afficiant. Nos vnum tantum opus, ceteris omnibus omissis, intuebimur, &, cur sit tam magno in precio apud omnes, contemplabimur. Id opus est, quo Tuscis versibus pulchritudinem moresq; insignes Lauræ, virginis Gallicæ celebrauit, stylo lyrico, artificio admirabili, ingenio tam sublimi, vt nemini, nec quò peruenit, aspirare, nec euolare altius vmquam fuerit tributum. ijs, quibus venit in dubium, vt poetis mos est, Petrarcam non imitari, atq; idcirco non benè poetæ nomen eidem conuenire, satis accuratè vno opusculo ab Angelo Signio responsum est; qui poetam nostrum non tantum poeticè imitari, sed ea imitatione persequi affirmat, quæ præcipuè optima est, maximeq; opportuna, in hac imitatione inest Amans sine vitio, miræ pulchritudinis admirator, qui (vt Græcis, & Latinis poetis mos est, qui turpibus amoribus illigati res obscoenas audacter describunt) non eodem modo suas cogitationes persequitur; sed castis, honestisq; sententijs rem conficit, &, vt auribus vel virginum castissimis adhiberi possit, optimis versibus proponit. Vtitur verbis ad lyricā poesim accommodatis singulari elegantia, atque artificio incredibili; hæc verborum facultas aurea potius, quàm lactea, dicenda erit; quæ admirabilis cunctis in rebus, & preciosa tam exquisitis rationibus opus, omnium elegantissimum confecit. Verbum ab eo nullum excidit, nisi elegans, nisi purum, & proprium. Verborum coagmentatio tam est concinna, tam iucundè erudita, tam meditata suauiter, vt res nulla dulcior esse possit, nec melior. Singulis in verbis insignis munditia perspicitur; exprimendis in sensibus singularis industria notatur; accedit artificium vsquequaq; admirabile, quo & verba splendidè illigantur, & sensus insigniter ornati exprimuntur. Varijs tractandis sensibus, dictu incredibile est, quàm sit admirabilis, quàm eximius; qui & si res nouas sæpissimè aggredi-

tur, admirationem tamen sæpissimè etiam in animis legentium ingenerat eo pacto, vt, dum suauissimè oblectat, ab omnibus animi causa ad verbum ediscatur. Verbis translatis ita vtitur, tam ingeniosè, vt non poeta, sed norma ipsa, & lex poetandi loqui videatur; tam considerate, tam artificiosè in hoc negotio adhibita ratio est, vt attendatur ab omnibus, & vt ars, quæ sit certissima, obseruetur. Quicquid est generis exornationis, qua oratio expolitur, in eo tam multis dicendi virtutibus reperies, vt omnes rhetorum, & poetarum arculas adhibitas, & pigmenta omnia in hoc vno opere consumpta esse dicas. Incredibili industria, maximoq; ingenio res tanta confecta est; sensus mirabiles artificiosis rationibus inuenti, argutiæ verborum concinnatæ subtiliter hanc facultatem tam suauem, tam expetitam auribus pepererunt, quæ tam cupidè legitur, tam gloriosè, vt nullis lucubrationibus inferior cunctas poetarum lucubrationes superarit. Quoties id opus in negotijs expetitur, atque etiam animi causa attenditur, ita gratum est otiosis, atq; occupatis, vt sine eo nemo sit, qui in vitam duram, & insuauem esse planè existimet. A pueris cupidè ediscitur, honestè legitur à mulieribus, admiratione docti, indoctis est iucundum; egentes in laboribus consolatur, diuites in rerum copia oblectat; sermonem vel summis in viris, & Regibus exornat, grauibus in negotijs nihil obest, animos moerore affectos hilarat, hilares nobilibus sententijs pascit, & conseruat. Erit fortasse in hoc nostro poeta faciendum, quod vir doctus, & grauis fecisse dicitur; qui cùm in conuiuio versus quorumdam poetarum dicturus esset (quia honestæ aures ob turpitudinem respuerēt) ne dicentem pudor confunderet, velato capite pronunciauit; qui honestissimis sententijs conflatus, & verbis optimis compositus tutò vel in virginum conuentu legi potest; neq; in hoc erit verendum, vt sanctissimis in moribus iactura fit facienda probitatis (vt in Græcis poetis, & Latinis vsuuenit) cùm vim omnem turpitudinis hic vir optimus à suis lucubrationibus remouerit, suumq; opus & verbis, & sententijs castissimè exornarit. Volumen vel amplissimum implerem, si res singulas exquisiti artificij persequi vellem; tam enim ingeniosè res vestigat, vt tertio quoq; verbo admirationem commoueat; tam à multis dicendi virtutibus diues est, vt singulis quodammodo

in verbis id efficiat? Delectat ille domi, foris est iucundus, consolatur in ærumnis, exornat in rebus lætis; in otio virtutem excitat, in negotio, vt vim virtutis exerceas, præstò est: Vbiq; deniq; commodus, vbique opportunus, tēpore ipso, quicquid expetiueris, suppeditat. In verbis præterea, & sententijs de inuictis omnino hic noster poeta vincit omnes; in hac facultate quàm ille creber est, quàm copiosus, quàm vsquequaq; sapiens, & mirus? Hac ipsa re tam magna gloria nostro poetæ parta est; hæc illum præter cetera summum fecit; hæc ingenij magnitudinem illustrauit; hæc vt ceteris lyricis poetis antecelleret, facilè præstitit. Quamobrem, ne tantæ virtutis semen desideretur, proponemus hic aliquid exempli causa, quo cetera, quæ sunt eiusdem generis, commodius intelligantur. Admirabilis est igitur ea cogitatio in quadam ode;

Così vedeß'io fiso,
Com'amor dolcemente gli gouerna;
Sol vn giorno da preßo,
Senza volger giamai ruota superna;
Ne pensassi d'altrui, ne di me stesso,
E'l batter gli occhi miei non fosse spesso.

Quid? in eo nonne, qui legunt, obstupescunt?

Paßa la naue mia colma d'oblio;

Atque in eo itidem nonne mens suauitatis dulcedine cōpletur?

Leuommi il mio pensier in parte, oue era;

Quò peruenit noster poeta, nemo vnquam aspirauit; nemo vnquam tantum imbibit scientiæ, quantum ille poeticis sententijs sapienter expressit; nemo vnquam sel ipsum vincens supra id, quod potest humana natura, altiùs ad sublimes sensus euolauit. Quæ res vna ceteris omnibus rebus præferenda est, nulla in hoc admirabili poetà errati suspicio reperitur; cùm ais summa, vel summa laus potius omnia occupauerit; quin potius legem quandam insignem, & rationem magno vsu iam corroboratam vel doctissimi viri deprehendunt, & fatentur. Habeant sibi ceteræ vrbes suos viros, qui varijs doctrinis sunt insignes; dum habere nobis perpetuò liceat virum cunctis laudibus cumulatum; qui dotibus ingenij admirandis, artificijs poeticis tantum præstitit, cùm vrbem nostram illustrarit, vt ceteros poetas omnes gloriosis cogitationibus superarit. Neque verò

exiguis

exiguis laboribus tam magna laus ei constitit; qui se ipsum suo ingenio excutiens, dum morosè secum varios sensus versat in solitudine præsertim, quanta vir diligentia esset, non obscurè ostendit. libet igitur hic aliquid ponere, quò res, de qua dicimus, sit testatior. Consueuerat poeta noster, dum moliri aliquid cogitando vellet, multis spatijs faciendis deambulare solus, &, dum orirentur cogitationes, atque aliæ alijs succederent, ne, quæ subitò eruperant, euanescerent, pellita quadam in veste, qua erat indutus, quæq; nullo panno exteriore erat cooperta, scriptitare subitò, quæ Tuscis in Musis venerant in mentem, multisq; hac, atque illac notis, & lituris circumscribere. Hanc ipsam vestem Ioannem Casam vnà cum Iacobo Sadoleto, & Ludouico Beccatello, quorum erat in potestate, contemplari solitum esse dicitur; &, cùm anno M D X X V I I. grauis pestilentia omnia in Italia deuastaret, cùm animi, tum etiam salutis causa rus Mugellanum Ioannis Casæ omnes concessisse, secumq; hanc vestem, vt per otium contemplarentur, habuisse. Apparebat, summum hunc virum, fastidiosè, diu, & patienter commentari esse solitum, cùm alia mutata, alia interlita, alia deleta penitus conspicerentur; nec contentum ijs rebus, quæ primò venerant in mentem, tentasse omnia; vt, quæ sibi maximè esset vsui, maximeq; in optatis, ex inuictis sapienter rem efficeret. Iure optimo Florentia, viri tam illustris patria, gloriatur, quæ lucubrationibus tam sublimis poetæ decorata, singulis horis fruitur gloriosis laboribus; &, quicquid in eum laudis, quod maximum est, confertur, omnino ducit suum. Præter nobilissimas artes res duæ in summo viro, cuiusmodi Petrarca fuit, inter se contrariæ quæruntur; vt sit experiēs, multisq; amicitijs inseruiat; habeatq; sepositum otium, cuius causa conditus in solitudinem communem hominum sensum cognitum habeat, cuius præsidio res explicet, &, vt didicit in negotio, quod est intimis in sensibus, pulcherrimè in otio conficiat. Disciplinis nobilissimis præditus poeta noster, quo pacto eis benè vti posset, tractādis magnis negotijs didicit; quæq; in concursu summarum rerum cognouit, honesto in otio, eoq; diuturno explicauit. Nemo enim, quæ homo expetit maximè, addisceret, nisi eum hominum vsus frequens optimè commonefaceret. Viris illustribus Petrarca vsus est perpetuò; multisq;

familia-

familiaritatibus implicatus, satis, quid hominum sensus posceret, percepit; suauitatemq; omnium optimam in otio mente sua tantum contemplatus opus ceterorum omnium nobilissimũ peperit, summisq; ingenijs, vt se alerent, proposuit.

DANTES. XX.

INGENIO, & doctrina poeta Dantes se se offert poetarum omnium eminentissimus; qui Florentiæ Florentinis natus parentibus, artesq; nobilissimas edoctus, vel primis ætatis temporibus, quantus esset futurus, demonstrauit. Didicit enim peracri ingenio res difficiles, & arduas; exornauit se illis doctrinis, quibus miros adeptus progressus res grauiores deinde inciperet. Memoria fuit tanta, vt, quæ didicit primò, perpetuò retineret; cui, cùm se clarissimis disciplinis instrũxisset, vt cuius ingenij magnitudinem probare posset, venit in mentem, vt suæ Repub. suam operam nauaret. Id ipsum autem honori sibi futurum eò magis arbitratus est, quò minus esset habiturus, qui se sibi tam præclaris artibus æquare posset; rerumque arbiter cuncta negotia esset ad suum arbitrium acturus. Non deerat ingenij magnitudo, summa voluntas præstò erat; quibus rebus, & gloriæ sibi fore suam operam, & multum apud omnes suam auctoritatem auctum iri arbitratus est. Incidit igitur in concursum maximorum negotiorum, vt volebat; sed erat ciuium tanta inter se dissidentium disiunctio, vt, quicquid concordiæ causa hic noster poeta moliretur, cùm alterutri partium fauendum esset, non ad mala disceptantium minuenda, sed ad dissensionem augendam adhibitum esse videretur. Cùm suis officiis, quæ rectissima erant, nonnullos offendisset, in exilium eiectus est, tanta aduersariorum sæuitia, vt, direptis bonis, difficulter iure dotis obtineret vxor, vt viri sui bonorum particulã, eamq; exiguam ad alendam familiam conuerteret. Hinc tantis vir spe reuertendi in patriam destitutus, varias in regiones vagatus, & profugus, & exul diuitum hominum liberalitate subleuatus est. Egens igitur, & miser in Galliam profectus est, Lutetiamq; disciplinarum causa se contulit. Quo in loco eo pacto nobilissimis artibus cumulatus est, vt rebus disceptandis (vt publicis in gymnasiis mos est) nemini summis in rebus con-

cede-

cederet, sed ingenij magnitudine superaret. Nemo eo subtilius, nec magis acriter rebus controuersis propositis disseruit; nemo res dubias, & obscuras melius cognouit, nemo ad ea, de quibus disceptabatur, respondit sollertius, aduersariorumq; propositum commodius confutauit. Eruditus enim optimis disciplinis cùm mathematicis, in quibus erat mirabiliter insignis, tum sacris literis, quas cupidissimè imbiberat, quid vis optimè in disputando facere poterat; confirmare enim quæ placita essent, ita didicerat, vt cùm contrà differentes acerrimè refelleret, ad suum, quod probarat, arbitrium sapienter concluderet. Scripsit, quæ extant, multa, vt notum est; nos tres Canticas tantum, vt nominantur, considerabimus, quibus Tusca lingua inferorum loca, Purgatorij, & Paradisi regiones ita describit, & pœnas sceleratorum, & beatorum gaudia enarrat, vt vel maxima ingenia obstupescāt, & quo quis est sollertior, & doctior admirari non desistat. Altissimo ingenio, atq; incredibili præditus fuit poeta Dantes, qui res obscuras, & difficiles perscrutatus est, vt primus, & extremus, qui in re tanta secum cōtenderet, nec inuenit adhuc, nec, qui tam sollerter audeat, tā labor immensus habiturus esse videatur. Scripsit etiā hoc opus primus, vt sententiā tertio quoq; versu rhithmis suauissimis cōcluderet; sed tamen euolauit tam altè, vt solus, & postremus quam gloriam primò sibi peperit, eadem frueretur ad extremū, iureq; optimo omnium consensu retineret. Quod cunctis seculis mirum erit, rudi planè seculo poeta noster has suas lucubrationes scripsit tam exquisitè, tam doctè, tam ornatè, vt nostro nunc seculo, quòd tam eruditum est, etiam nunc sitienter legātur, & mirum in modum apud omnes sint in pretio. Peruenit nunc ad summum oratoris facultas, poetarumq; suppellex facta est tam insignis hoc nostro tempore, vt ea profectò ipsa fieri melius nihil possit, nec elegantius. Permultis nunc, magnisq; ornamentis, aut, vt verius dicam, ex antiquis auctoribus in lucem editis, quicquid in his nobilissimis artibus contineri potest, prolatum iam est, cunctisq; ingeniis expositum. Quibus rebus tantum abest, vt obscuritas vlla splendidis nostri poetæ lucubrationibus allata sit, vt ab eis nostra ætas didicerit multa, & suas lucubrationes diuino hoc poetæ Dantis legendo opere locupletarit. Ea vis erat in hoc poeta intelligentiæ, & notionis

rerum

rerum mirabilium, vt nihil in suo opere adhiberet, nisi quod esset summa industria elucubratum, magno artificio expolitũ, & ingenio quodam admirabili perfectum. Quàm id, quod dicit, verisimile est, quàm ad veritatem proximè accedit, quàm legi poetarum propriè obtemperat, quàm ingeniosè, quàm rẽ ipsam pænè verissimè imitatur? Eis interesse rebus videtur animus, dum res formidolosas dicit, & mirabiles; poenis propositis eis, qui maculosis vitiis tenentur, quàm ille grauiter exurgit, quàm atrociter cruciatus enarrat, quàm diuinum iudicium flebiliter proponit, vt denunciatione supplicij deterriti ab se scelera propulsent, monitis salutaribus edocti diuinis legibus obtemperent? Nemo vmquam inuentus est, qui hanc tam insignẽ imitationem sit melius meditatus, qui tam salutariter honestissimis ornamentis, eisq; poeticis cogitationes tam inusitatas persecutus sit, qui vitiorum, & virtutum semina complexus tam vtiliter versibus salutem hominum descripserit. Sacris enim deditus literis, diuinisq; disciplinis eruditus qua copia verborũ, quo eloquentiæ flumine, quibus sententiis, quàm exquisitis, quã nobilibus, quàm sanctis sacros ille molitur sensus, & enarrat? Ceterorum poetarum morem hic exponerem, vt ex eo quantopere hic noster poeta sit eximius, perspici posset; nisi, vt breuitati studerem, res ipsa admoneret. Variis in locis Dantes, vt cunctis notum est, variisq; cum hominibus versatus est; in quibus cùm res pænè innumerabiles notaret, tam multa admirabili diligentia collegit, vt res omnes habere cognitas iudicetur. Quàm est ille idcirco in rebus gestis narrandis acer, & diligens, quàm in minimis attentus, quàm prudens in magnis, quàm in omni historia curiosus? Præterea viget in eo philosophiæ studium, in describendis moribus grauitas, in exhortandis ad virtutem animis sanctitas; est ille etiam, vt apparet, in verbis deligendis accuratus, in eis transferendis diligens, sed omnium maximè, in comparationibus mirabiliter audax, & felix. In hac virtute, dum res dissimiles inter se comparat, & quadam similitudine coniungit, quàm est ille perhibendus, quàm egregius, quàm suo ingenio indulgens admirandus? Concedatur tanto viro, vel ab eo, si quis hac virtute est insignis (cùm ingenio tam altè se extulerit) vt in rebus comparandis eidem minimè se comparet, sed poetam nostrum sine vlla controuersia incompa-

comparabilem existimet. Rem ipsam enim, non verba intuetur, quoties has similitudines colligit, qui poetam hunc nobilissimum legit; & delectari maximo artificio, & mirabiliter affici tanto ingenio viri clarissimi fatetur. Permultis, eisq; doctissimorum virorum commentis declaratus, quanta in eo consistat virtus, quanta auctoritas, quanta maiestas, satis explorate ostendit; ex intimis philosophiæ sensibus, sacrarumq; literarum sinu mirabiles notiones sæpissimè eruit; versus nullus excidit, nulla sententia, immo nullum verbum, in quò maximè factum esse operæpretium non iudices; vt, quicquid in hoc opere consideres, id omne præcipuè opportunum, & egregium reperias. Quæ virtus in dicendo nobilissima est, & ceteris virtutibus præferenda, maximè propria poetæ Dantis est, vt locutionibus, & sensibus de inuictis ita studeat, vt ex eis quodam modo conglutinatum opus, & conflatum esse sentias. Sunt enim tam multa crebrò tam dicta sapienter, tam scitè exarata, tam acutè cogitata, vt nihil ei placuisse magis arbitrere, nihil attentius considerasse, quàm vt hac poetandi materia totum expleret opus, mirabilibusq; modis exornaret. Hinc illud de homine mœrore insigniter affecto.

Gli occhi alla terra, & le ciglia hauea rase
D'ogni baldanza, & dicea ne' sospiri,
Chi m'ha negate le dolenti case?

Cantus præterea XXXIII. Inferni totus penè ex inuictis conflatus est, qui incipit;

La bocca solleuò dal fiero pasto;

Quid illud in Purgatorio?

L'anima semplicetta, che sà nulla,
Saluo, che mossa dal lieto fattore
Volentier torna à cio, che la trastulla.

Et illud etiam nonne hanc, de qua dicimus, sapientiam sapit?

Non altrimenti stupido si turba
Lo montanaro, & rimirando ammuta,
Quando rozzo, & saluatico s'inurba.

Locus ille itidem est valde perhibendus in Paradiso;

Et tutti gli altri modi erano scarsi
Alla giustizia; se'l figliuol di Dio
Non fosse humiliato ad incarnarsi.

Cantus prætere a extremus eiusdem operis, in quo laus Mariæ Virginis exprimitur, hanc rem ipsam spectat, & verba de inuictis, & sensus ita præ se fert, vt mirandis ornamentis materiam omnem, quæ proposita est, pulcherrimè illustret. Quibus artificijs res tam insignis conficiatur, vt iure optimo dicatur de inuictis, vt nihil inueniri elegantius, nihil effici, nihil cogitari melius possit; vel si res cunctas consideres, aliàs dabitur fortasse occasio, vt disseratur, atque ingenium poetæ nobilissimi eius commemorandis artificijs celebretur. Satis tamen constat, hunc ipsum non sine causa tantopere omnium vocibus probari, qui ad summam rerum omnium scientiam sublatus tantum potuit singulari industria, ingenioq; admirabili, vt sit eam facultatem aggressus, quæ priscis seculis intentata, non modo, qui superarit, non dum inuenit, sed ne qui æquarit quidem inuentus sit. Quamobrem non sine causa, aut verissimè potius dictum est à Verino;

Gloria Musarum Dantes, non cedit Homero:
Par quoque Virgilio; doctrina vincit vtrumque.

Doctrinam tam multiplicem, tam exquisitam nequaquam ceteris omnibus in poetis reperies, vt præcipuè (sicut doctissimi viri arbitrantur) in Dante præstò est; qui Peripateticorum spatia studiosè emensus, sacrisq; in literis ingeniosè volutatus, & res pænè innumerabiles edoctus, omnino si id, quod dicimus, metiri ratione volumus (nec sibi tantum dignitatis vendicarent vel qui fuerant, vel qui viuebant, vel qui post futuri erãt) cunctis in poetis locum sibi principem præripuit.

Sed vt ad id, quò volumus, tandẽ aliquando veniamus, (quoniam nonnulli consilium viri clarissimi mirantur potius, quàm laudent) videndũ est, quid sibi velit hæc species in statuendis statuis, quæ nõ inusitata solùm, verùm etiã noua esse putatur. Quod hæc ratio statuarum huius modi quadratis terminis præcipuè Florentiæ inusitata sit, addo etiam noua, ne in nostra sentẽtia tuenda nimis pertinaces simus, fortasse aliquo pacto verũ erit; sed tamen si morem Rerumpub. quæ ceteris grauitate, & consilio præstiterunt, intuemur, tantum abest, vt, quod egit vir summus, improbemus, vt permultis afficiendum esse laudibus putemus. Minimè ille hanc rem primus instituit, sed ab alijs inuentam Florentiæ renouauit, cunctisq; visendam liberaliter pro-

proposuit. Quid? multarum ciuitatum Græcarum Respub atque itidem Romanorum nonne id ipsum factitauit, suasq; vrbes huiusmodi artificijs ornauit? Permultum viri sapientes, Græci præsertim quadratis in formis positum esse dignitatis, & decoris putarunt, eamq; vim inesse, vt ab similitudine virtutis non abhorreat. Est enim vis virtutis sua sponte admirabilis, vt vel secundis rebus, & prosperis vigeat, in aduersis, & ærumnosis non infringatur, eoq; habitu perpetuò sit, qui perhibendus maximè, & colendus est. Forma itidem quadrata, qui cubus dicitur, quoties, & quo vis modo ieceris, eodem statu toties consistit, eandemq; stabilitatem perpetuò nanciscitur. Vir igitur sapiens, & multa virtute præditus, qui nullam in partem vel furentibus ventis se se commouet, nec multum secundis auris sese effert, quadratis formis omnino persimilis, firmissimis in actionibus insistens vim ipsam virtutis gloriosè in se exprimit. Hæc ipsa forma viris doctissimis placuit, & in viris amplissimis cohonestandis magno iudicio adhibita est. Capita ergo clarissimorum virorum, & summa pectoris quadrati termini excipiunt, vt apparet, specie quidem minimè insulsa, sed quæ decorem, & dignitatem quandam præse fert. Id nimirum hæc ratio statuarũ potissimùm spectauit, vt viris ingeniosissimis placet, vt trũcus ille pectorum tenus, quatenus quadratus est, vim virtutis exprimeret; quatenus autem terminus esse perspicitur, præcipuè significaret, eò virtutem peruenisse, quò virtus progredi vlterius non potest, cùm ad quadratum terminum, qui supremus virtutis gradus est, victis difficultatibus, peruenerit. Has statuas quadratas sine manibus, & pedibus Hermas vocauit antiquitas, quæ viris clarissimis tantummodo & de sua Repub. & de humano genere bene meritis honoris causa publicis in locis ponebantur. Hæc quadrata forma eruditissimis viris placuit tantoperè in statuis, vt in earum elogijs quadratas literas etiam effingerent, quoties o ponenda esset; quadratisq; rebus, quæ sapiunt virtutem, vim virtutis laudibus efferrent. Etenim o literæ, quæ sua rotunda forma nobilis est, permultum virtutis additum est hac quadrata forma , quæ vim virtutis mirabiliter exprimit. Ad ea, quæ de virtute diximus, spectauit eximius noster poeta Dantes;

Auuenga, ch'io mi senta
Ben tetragono a' colpi di ventura.

Hic Hermæ duæ ponendæ sunt; vna Isocratis, Milciadis altera.

ARISTOTELES etiam hominem quadratum, virum fortissimũ, cõstantissimumq; intelligit, qui vt cubo accidit, cùm in rebus aduersis, tum in secundis, vt dictum est, elato animo est, atque firmissimo. Statura præterea quadrata, quã in Vespasiano fuisse notatum est, omnium optima iudicata est; quæ cõpactis, firmisq; mẽbris constans, & valentissimis prædita viribus, nec nimis procera, nec breuior, quàm sat est, nec indecora visu, vim valetudinis admirabilem præstat. Hac ratione fortasse Plato, qui antea Aristocles dictus est, à latis humeris nominatus est. Herma Platonis visitur Romæ in ædibus Octauiani Zeni prope theatrum Pompeij in Campo Floræ. Itemq; Valesi Publicolę est Herma huiusmodi apud Achillem Maffeum Romæ eadem forma.

Hermæ Valesi, & Platonis hic ponendæ sunt.

VALET hæc forma quadrati sua sponte plurimum, atq; in artificijs humanis, (vt rerum humanarum docuit vsus) nõ sine causa adhibetur. Hinc quadratum agmen dicitur exercitus, qui, dum est in itinere, à vi, atq; ab hostium insidijs tutus, quicquid inciderit periculi, cunctis militibus ad hanc quadrati formam diligenter dispositis, omnino negligit. Iam verò confugere ad statuam, nonne hanc vim summæ virtutis olet, & summam dignitatem in summis viris nonne significat? Magius ille Campanus constrictus cathenis ab Annibale, dum naui duceretur Carthaginem, delatus Cyrenas cùm ad Ptolemæi Regis statuam confugisset, facilè ab iniuria Pœnorũ se eripuit. Quid? Nonne impietatis vir quidã nobilis damnatus est, quòd seruum suum verberasset, qui dragmam argenteam collo gestabat Tyberij Imperatoris imagine signatam? Magna statuis tribuebatur auctoritas antiquis temporibus, magna veneratio; adhuc proferuntur iura, quatenus confugientibus ad statuã sit subueniendum; extant leges, quibus, qui à potentioribus pre-

mebantur,

mebantur, abiniuria se hoc subsidio eriperent. Celeberrimis in locis magnarum vrbium, ne dicam de priuatis ædibus, hæ statuæ Hermæ poni solitæ sunt. In foris tamen, & Bibliothecis, vt proprijs in locis, visebantur. Suo igitur iure asciuerunt sibi Bibliothecæ viros doctos; cetera loca ceteros viros virtute præditos receperunt. Permultas statuas Romæ ruinæ obruerunt, quæ sepultæ multos annos, erutæ tandem, & expositæ in lucem quãuis imminutæ, & pænè discerptæ non exiguam viris doctis voluptatem attulerunt. Mos ex auro, & argento, atq; etiam ex ære ponendarum statuarum in Bibliothecis ab Asinio Pollione primùm institutus est; id eius ingenio inuentum, vt viris doctissimis placet, tributum est; & profectò quorum monimẽta apud omnes in precio sunt maximè, eorum vultus visu, & memoria retineri æquum est. Grata est doctrina, iucunda est industria, quæ diuturnis in lucubrationibus continetur; sed tamẽ omnino gratior efficitur, cùm eum, qui scripsit, intuemur, atque ex eius vultu ingenij magnitudinem metimur. In Bibliotheca Palatina Augustus Cæsar sibi ipsi statuam sui similem poni passus est, quæ tamen staturam, atque habitum Apollinis referret. Ex hoc satis apparet, tributum esse multum summis viris, si quid Bibliothecæ causa præstitissent, cùm vir ille Imperator, & sublimis laudi sibi duceret, quòd in posterum voluminum memoriæ consuluisset. Spectata est etiam Romæ, quam sibi ipse posuit, statua L. Accij, clarissimi poetæ, in æde Musarum, quæ literarum studijs præesse putabantur, maxima potissimùm forma, cùm esset ille pusillæ staturæ. Iam verò vt esset testis admirabilis sedulitatis, & industriæ, Hermodoro Ephesio posita statua est in comitio, qui fidelis interpres Decemuiros (dum Græcas leges intuentur) in scribendis Romanis legibus adiuuit. Omnino virtus cuiusuis hominis, dummodo esset illustris, studiosos, atque optimos viros impellebat, vt eum ponendis statuis summo honore afficerent. Non erant fraudi inimicitiæ magnis meritis apud eos, qui vim virtutis in homine ipsa virtute metiri consueuerant. Itaq; tribus in locis tres statuæ Annibalis Romæ visebantur; sed id ea fortasse ratione à Romanis actum erat, vt esset omnibus exploratum, dum tanti ducis virtus intuentium animis occurreret, Reipub. Romanę non defuisse viros, qui eam maiore virtute superarent. Inter eas præterea

terea imagines, quæ in funere Augusti latæ sunt) vt Romanis mos erat) spectata est etiam Magni Pompeij statua, qui vnus Cæsarianis partibus princeps hostili animo restiterat; cùm satis omnibus planum esset, Augustum, dum viueret, nec inuidisse Pompeij laudibus, atq; illius statuam contra regiam theatri eiusdem collocasse. Quin etiam idem Augustus honorem proximum diuinis honoribus summis viris præstitit, eis, inquam præcipuè, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Eorum monimenta, quæ vetustate collapsa erant, manentibus vnius cuiusq; titulis, restituit, atque omnium statuas triumphali effigie in vtraq; fori sui porticu dedicauit. Huic operi tantum tribuit, tam magno studio excoluit, vt edicto gloriatus sit, suum id esse commentum, vt ad eorum exemplar, qui suam operam Reipub. tam egregiè præstitissent, firmo animo ceteri principes se conuerterent; inter quos cùm se ipsum ederet nominatim, haberent postea ciues, quam virtutem in eis, qui rerum potituri essent, potissimùm expeterent. Magnis pro meritis summis viris statuæ ponebantur, vt Aristogitonis Herma conspicitur Romæ apud Cardinalem Carpensem; itemq; Catonis apud Cardinalem Farnesium. Quod enim Cato Censorius sua in ætate adeptus non est, vt quis virtutis nomine statuas ei poneret, cùm diceret ipse, se optare magis, vt quæreretur, cur sibi statua nullo loco posita esset, quàm cur posita esset, detulit tamen posterior ætas, quæ, quanti esset virtus tanti viri, libenter agnouit, & statua quadrato termino decorandum iudicauit,

Hic Hermæ Aristogitonis, & Catonis ponendæ sunt.

SCRIBENDIS rebus gestis Romanorum, rem profecto admirandam, atque omnium maximam T. Liuius aggressus est, eandemq; admirabilis ingenij sui magnitudine re ipsa præstitit. Neque enim ideo res magna fuit, & memorabilis propter industriam, quæ mirum in modum tunc fuit, atque etiam nunc insignis est, sed propter materiam, quæ scribendæ historiæ subiecta est; ita ab initio condendæ vrbis subinde se extendit, vt crescens in immensum non solum mirabilibus ingenijs satisfaciat, sed sicut cunctas terras tanti viri ingenio obire consueuerat,

fueuerat, ita terrarum orbem feliciter complexa, cunctos sibi mortales ingenti beneficio deuinciat. Hæc cùm ita essent, homines nobiles non doctrinæ splendore, aut facultate eloquentiæ incensi, quibus rebus, vel dum abessent, poterant sibi ipsis satisf cere, sed vt Liuium ipsum, quem in scriptis admirabantur, hoc est, vt eius vultum inspicerent, ex vltimis Hispaniæ, & Galliarum finibus venerunt Romam; vt nec vllus labor, nec longitudo itineris, nec alia difficultas remorata sit, quò minus sibi tam nobili in cupiditate satisfacerent. In vultu principum virorum viget insignis quædam vis; quæ eò magis admirabilis est, quò minus in ceteris hominibus perspicitur. Hæc dignitatem quandam præse fert, simulatque perspecta est, & timorem nescioquem cum admiratione mixtum in animis intuentium in generat. Is enim, qui viros tam magna virtute præditos intuetur, è vestigio humilis suæ conditionis conscius, & se deteriorem intelligit, & eum ipsum, qui est tam sublimis, non sine causa admiratur. Idcircò verè dici potest;

De generes animos timor arguit;


Persæpè enim vel grauibus viris vsu venit, dum ad virum principem adeunt, & cum eo deinde colloquuntur, vt timore insolito correpti repente animo concidant, & quod cogitarant, proloqui non possint. Quid? nonne dignitas vultus C. Mario salutì fuit? qui Senex, & inermis cùm arma Syllæ, hostis sui acerrimi, fugeret, carnificem stricto gladio Minturnis ad se venientē vultus sui præsentia ita terruit, vt properè inde fugeret, & se Marium non posse interficere clamitaret. Maiestate quadam viri clarissimi afflatus, & splendore oculorum penè constrictus, è vestigio è priuata domo, vbi latebat Marius, se in publicum proripuit, præbitaq; vt se seruaret, facultate, factum est paulò post, vt Consul septimùm creari posset. Augustus præterea, vt memoriæ proditum est, vultus sui dignitate magno ex periculo ereptus est. E primoribus Galliarum cogitarat vir quidam nobilis propellere eum, & sublimi ex loco in transitu Alpium præcipitare; qui per speciem colloquij ad eum propius admissus tam magnum facinus se perpetrare posse arbitratus est; sed quò minus rem tantam perficeret, serenitate vultus, & splendore oculorum se prohibitum esse ad suos reuersus confessus est. Hoc nomine in exercitibus gerebantur imagines principum Romanorum,

rum, quæ in armorũ strepitu militem commouerent, &, dum Mars ipse accenditur, decertantium animos ad prælium inflammarent. Signiferi, quibus id mandabatur munus, Imaginarij vocabantur, multũq; adhortando poterant, dum identidem pro quibus pugnarent, hortarentur milites, atq; Imperatorum imagines ostenderent. Idcirco Tyberius, detectis Seiani insidijs Syriacas legiones non mediocri munere affecit, quod inter cetera signa nullam, vt aliæ ceterorum locorum, eiusdem viri imaginem coluissent. Non mediocriter enim suspicioso principi suspecta fuisset suorum militum fides, si eius imaginem, qui affectandi imperij cupiditate tenebatur, suis in castris habuissent. Illi enim, qui sibi Seianum potestate penè æquasset, nulla erat superuacanea cautio, nec inutilis; qui & si propter hominis perfidiam magno iam periculo defunctus erat, eos tamen, qui re iam integra benè de se meriti erant, omnino diligendos, & præmijs afficiendos iudicabat. Hæc igitur statuarum facultas cùm expeteretur ab omnibus, magnoq; esset in honore apud Romanos, eo præsertim tempore, cùm rerum potirentur (Græci enim, cùm potentia parùm possent, in id ipsum, quantum poterant ingenio, & literis contulerunt) priuatis in ædibus curabatur assiduè, & publicis in locis studiosè celebrabatur. Vis enim exprimendæ virtutis apud antiquos mirabiliter excubuit; excitabantur præmijs, mouebantur laudibus, inuitabantur honoribus: &, ne sibi quisquam rei nobilissimæ causa deesset, maxima commoda proponebantur. Hinc magistratus, censuræ, Consulatus orti sunt; hinc orationes magnis pro meritis habitæ: hinc multæ vtilitates præterea; hinc picturæ, & statuæ viris clarissimis statutæ sunt, non ea ratione solùm ne virtus iaceret sine premio, sed vt haberet posterior ætas, quod sibi ad exemplum proponeret, & rem eandem summa cum sollertia exprimeret. Huius vnius fortasse rei causa omnium laudibus oratio Agrippæ celebratur; hic enim vir eximius cùm censeret tam magnum bonum longè, lateque propagandum, orationem habuit Romæ de tabulis, & signis publicandis, &, vt ad vsum populi exponerentur, multis rationibus disseruit. Et profectò summo illi viro maximè consentaneum visum est, vt quæ virtus nobili suo exemplo tantum posset, non priuatis parietibus contineretur, sed publicis vtili-

ratibus ad rationes Reipublicæ amplificandas inseruiret. Cogitationem admirabilem clarissimi viri dilaudat nostra ætas, aut potius, vt opinor, omnis ætas admirata est, summisque laudibus ad cœlum extulit. Nunc verò hoc in negotio quid egit aliud Valorius, nisi vt suis clarissimorum virorum statuis publicatis, locoque publico locatis, vtilitatibus publicis liberaliter inseruiat? Poterat ipse suum commodum tantummodo intueri, & sibi ipsi intus canere, vt proverbio dicitur, nisi commodum publicum generosè spectans gloriæ communis patriæ inseruire voluisset. Pro tam magna liberalitate nulla profectò laus reperietur fortasse, quæ tam magno merito respondeat; virtus enim, quæ clarissimis in viris floruit tam mirabiliter, perpetuò nostræ ciuitatis homines sui officij admonebit, & vt imitari velint, quod admirentur, tacitè, & præcipuo quodam modo adhortabitur. Non homines ille rei cuius vis peritos sumpsit, sed viros disciplinis clarissimis nobilitatos potissimùm delegit, qui quadratis terminis locati, & quantum virtutis expresserint suis ingeniosissimis monimentis testantur, & suam patriam nominis sui gloria illustrant. Eò vnius cuiusque virtus (qui viginti sunt numero) progressa est, quò adire posse altitudo ingenij existimatur; eò peruenit industria, vt nemo se prodire posse vlterius existimet. Quod autem quadrata forma turbinato modulo posita sit, minimè huic negotio fraudi esse debet; conseruata enim in termino quadrata forma, habita est ratio venustatis, & elegantiæ, nec de proposito, quod primum est, quicquam imminutum. Delectatus est semper vir illustris nobilissimis summorum auctorum monimentis, ingenia clarorum virorum adamauit, benemereri de literarum studijs numquam destitit; idcirco non pepercit labori, non pecunijs, dummodo foueret industriam, spem aleret, & difficultates in egregijs operibus tractandis imminueret. Dum igitur clarissimorum virorum augendæ gloriæ dat operam, suam ipse gloriam non mediocriter auget; & dum de summis doctrinis benè meritos illustrat, quantum in eis profecerit, facilè ostendit. Id ipsum tam exploratum est, vt dum eius animi integritatem, doctrinam, moresq; probatissimos intuemur, nihil omnino illustrius nec probandum magis esse possit.

Habebit posterior ætas quod sequatur, quod sedulò imitetur; exemplar enim multiplicis virtutis multum potest non solum in hominibus eiusdem ciuitatis, sed in exteris quoq; nationibus; quæ, simulatq; se se prodit, rei imitandæ stimulos suppeditat, &, vt ad vim laudum clarissimarum se conforment, egregiè inuitat. Nunc igitur viginti viris egregijs honestandis, quibus singulis singula elogia tribuimus, nostram hanc patriam nō minus, quàm statuis hoc eximio honore decoratam esse arbitramur; quibus & si nihil deerat ad summam laudem, hoc tamen munere & cumulatam esse gloriam videmus, & miram viri clarissimi propensionem animi agnoscimus.

F I N I S.



CATALOGVS VIRORVM ILLVSTRIVM, QVI FLORENTIA ORIVNDI DOCTRINIS CLARVERVNT.